ANTONII
KERKOETII
AREMORICI
ANIMADVERSORVM
LIBER.

AD CLAVDII SALMASII Notas in Tertullianum de Pallio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

RHEDONIS,
Apud YVONEM HALECIVM
Typographum iuratum.

M. DC. XXII.

3703

CLAVDIO SALMASIO
ANTONIVS KERKOETIVS Aremoricus S.

ETſi te (Salmaſi) nunquam videram, tamen qui vir ſis cognoràm antea ijs ex notis, quas in Hiſtoricos publicaſti; & ex poſterioribus in Tertulliani pallium, multo magis intellexiſſe videor. Vbi in priores illas incidi, hominem te iudicaui lectionis aliquantæ, & in grammatica palæſtra vtcunque tritum: ſed doctrinæ melioris inopem. Atque hoc tamen ingenij tui præcox ἐξαίθημα, magis quàm fructum, tolerandum interim ſtatueram. Hoc vnum me, & alios quoſdam οὐκ ἀηδῶς ἔχοντας περὶ τὰς τοιάσδε φιλοκαλίας commouit; quod ex tuis ſcriptis apparebat, valde te tibi doctum videri. In quo

cùm te non mediocriter falli conſtaret, volebam iam tum hunc tibi errorem eripere, ſi poſſem. Verum inhibui me, ne repentina hæc περίκοψις Grammaticis tuis conatibus ſecurim infligeret. Præſertim quia iuuenilis ille feruor, ac faſtus olim in eas artes ebullijt, quarum te meditatione contentum fore credebam. At poſtquam te in Theologiam ipſam, Patreſque tranſdidiſti, & à Tertulliano initium graſſandi feciſti; tum ſane οὐκέτ᾽ αἰσχρὸν, οὐδ᾽ ἕδρας ἀκμὴν eſſe perſuaſi mihi. Nã cùm & religione, vt fama eſt, Caluiniſta ſis, & ſcripta tua, poſtrema maximè, ex temeritate, arrogantia, & inſcitia conflata ſint, manifeſtum eſt, quid & ab hæretico, corruptelæ: & ab homine temerario, falſitatis; & ineptiarum ab imperito in Patrum ſcripta comportandum ſit; niſi conſilijs tuis obuiam eatur. Hæc vna me res impulit, vt ad te ſcriberem; non odium vllum tui; non liuor; quorum cauſas procul habeo. Primùm odiſſe te quî poſſum? qui οὔ πώποτ᾽ ἐμὰς βοῦς ἤλασας, quem-

que natum antidhac neſciueram? Inuideri autem, vt ſcis, non niſi rebus honeſtis, & eximijs ſolet. Quarum verò tu hactenus ſpecimen dederis, nulla præter leuitatem & inſcitiam ad nos peruenit. Hæc mihi παρηγορίᾳ, & παραμυθίᾳ *mordacis fortaſſe remedij, ſed neceſſarij, viſum eſt vti. Nunc tibi porrò conſilij mei rationem exponam. Paucos dies in notis tuis legendis, quas ad Tertulliani pallium ſcripſiſti, magno meo dãno, Salmaſi, perditum iui. Eæ non ſolum prius illud iudicium confirmarunt, quod de te feceram; ſed etiam* ὑπερφυῶς *auxerunt. Etenim eruditio nihilo amplior in iſtis, quàm in ſuperioribus eſt, & genere eadem: hoc eſt earum rerum, quarum valde intelligentem eſſe, perinde ſit, atque omninò neſcire. Cæterorum, quæ in Prioribus* δαιμονίως *exiſtebant, magna iſtîc acceſſio,* κακοηθείας, *temeritatis, arrogantiæ, ſtuporis. Quorum in poſſeſſionem cum in hiſtoricis illis commentarijs iam pedem poſueris, recentioribus iſtis notis te in illis toto corpore*

volutaſti. Pagina ibi nulla vacua eſt à conuitijs, a contumelia, & inſectatione doctorum hominũ, vel ἀπρεπεστάτῃ tui iactantia. Nemo ante te Tertullianum interpretatus eſt, quem non barbarum in morem vexaueris, dehoneſtaueris, traduxeris. Omnes iudicio tuo imperiti, & ſtupidi: διαφερόντως δὲ Pariſienſis ille profeſſor, Theodorus Marſilius; quem quidem vah! quàm inclementer, & inhumaniter deſignas ad ludibrium! Sed neque à magno illo Scaligero pus ac venenum tuum abſtines. Quem tu magnum virum non aliâs vocas, quam dũ denotas. Immaniter, *inquis*, errat vir maximus. *Nequiter ac putidè. Nẽpe vt maximi & doctiſſimi ſuggillatione, majorem te facias maximo, & doctiſſimo doctiorem. Nam de Caſaubono τί χρὴ καὶ λέγειν; quem tu proinde virum maximum, & incomparabilem in notis ad Auguſtam Hiſtoriam ſæpius nominas: & hunc ipſum interim omni loco & occaſione vellicas. Ex quo perſpicuum eſt, quid à te cæteri, quibus*

inimicus eſſe debes, Catholici ſperare poſſint, cùm tu viros illos, qui tibi & amicitiæ, & Caluiniſticæ-religionis ſacramento conſecranei ſunt, incomities ac proculces. Atqui nihil eſt à te boni ijs in commentarijs editum, quod non ex illis ipſis, quos mordes &, ὑλακτεῖς, trāſlatum ſit. Quod adeo facis inuerecundè, vt permulta, quæ ſunt vſu omnium ac lectione πεπατημένα, & obuia in illorum ſcriptis, quaſi à te tum primùm inuenta, proferas. Hoc ego dico, hoc tibi, hoc omnibus profiteor, ac defendo: nihil admodum in his commentarijs ſcripſiſſe te, quod non vel alienum ſit, καὶ ἐπείσακτον κτῆμα, vel, ſi tuum eſt, quin putidum, commentitium, ineptumque ſit. Non ita mihi placeo, vt quod dico, eo tantum, quia dico, tibi ac cæteris perſuadere cupiam. οὐχ οὕτω μαίνομαι, πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Niſi id ergo perſpicuè, & ἀναντιῤῥήτως euicero, nihil recuſo, quin quantus eſſe tibi videris, tantus & meâ, & deinceps omnium opinione ſis, & ſi quid eſt vltra: quod ne fingi qui-

dem poteſt. Sed longè aliud ſpero, non ſolum reliqui, ſed vel ipſe de te ſtatues, ſi ea percurreris, quæ de infinitis & intolerandis tuis hallucinationibus, ac delirijs curſim libaui, ac propè ſaltuatim. Ut enim quodque legenti mihi raptim occurrebat, id τὴν σὴν χάριν, ὦ δαιμόνιε, adnotaui, atque perſcripſi. Non ſum neſcius, quàm multa diligentiam noſtram, vel potius feſtinationē eluſerint. Sed neque omnia complecti nobis animus fuit. οὐ γὰρ ἐναγκάλους τοὺς τοιούσδε φληνάφους, καὶ λήρους ἐποίησας: & fortaſſe non deerunt, qui poſt hæc ſpicilegium facere velint; id eſt horarum aliquot iacturam inſuper habere. Hanc quidem operam meam, ſi tibi minùs iucunda ſit, quia te nimium amas; vtilem nihilo ſecius tibi ipſi fore ſentio. Aut enim ſcribere deinceps καθόλου deſines; quod e re tua magis fuerit: aut ſaltem tuis te finibus, id eſt grammatica, continebis; neque in Patres homo hæreticus ac temerarius inuolabis: aut ſi neutrum horum Patris tui monita, vel amicorum preces, vel

tuus pudor impetrauerit; eris tu tamen fortaſſe cautior: tùm exemplo tuo cæteri, qui non maiori facultate præditi, ſimili confidentia, ſummis Catholicæ fidei Magiſtris illotas, imò conſceleratas manus iniiciunt. Nam vt in præſentiarum reliquas abſurditates tuas parcius conquerar: tuum illud piaculare facinus, quod in Tertulliano commiſiſti, quis pro merito caſtiget? Huius tu nouam editionem ex veteribus libris emendatam cum hoc titulo concinnaſti:

Noua Editio ex veteribus
libris emendata.

Atqui præter pauca quædam, quæ tu partim ex antiquo, vt ais, codice, partim ex Rhenani editione reformaſti, reliqua ex officina tua & coniectura proficiſcuntur: quod tute ipſe multis in locis profeſſus es: & tamen nouam illam ἔκδοσιν, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν, veteribus libris imputas, vt eius accendas pretium. Sic imperiti & incauti librarij, qui Tertullianum poſteà recentabunt, nouam illam, &, vt putabunt, caſti-

gatiorem Tertulliani operibus inſerent. Idem & in reliquis Tertulliani libris facient; quos ad commentarios tuos deſignas. Ita paullatim Tertullianum totum, ac reliquos deinde Patres elephantiaſis iſta, & Chironium ἕλκωμα depaſcetur. Hoc deterrimum, flagitioſiſſimum, & in Patribus periculoſiſſimum exemplum non modò non diſſimulandum; ſed etiam publicè coercendum cenſeo. Vt ſordidiſſimus Grāmaticus, ſemilatinus, ac ſemigræcus, & hæreticus Caluiniſta, Patres veteres pro ſua libidine commutet, interpolet, peruertat ac corrumpat omnia? Euigilabunt ad hæc portenta Gallicani Præſules, ac Romanus ipſe Pontifex. Hi tuam illam audaciam non literarijs iſtis, ac ludicris notis inurēt; ſed decretorum ſuorum fulminibus percellent. Dum id in mora eſt, interim neque literarum, neque Catholicæ Eccleſiæ cauſſæ deeſſe me volo: quarū εἰς λώβην, καὶ ἀπώλειαν bacchari à Tertulliano cœpiſti. Proin tu, quid agas, & quemadmodum tibi conſulas vide. In-

gens penes me eſt commentarius errorum, hallucinationum, ineptiarum, quæ in prioribus ad Hiſtoricos notis admiſiſti. Ea, ſi poſthac ſapias, fortaſſe condonabuntur. A Tertulliano verò, & à Patribus cæteris niſi leuitatem & inſcitiam tuam abſtines, ego tibi αὐτόθεν *vehemens, aſſiduum, immortale bellum denuncio. Nihil in poſterũ quenquam in Patrum eiuſdemmodi committes, quod impune per me habeas. Vale: & quoniam multum te in textrinæ, ac lanificij vocabulis operæ poſuiſſe ſcripta tua fidem faciunt; quæ iſtis obſeruationibus referta ſunt: auſculta Homericum illud;*

Τὰ σαυτοῦ ἔργα κόμιζε
Ἱστὸν, ἰδ᾽ ἠλακάτην, πόλεμος δ᾽ ἄνδρεσσι
μελήσει.

Vale iterum, mi Salmaſi, & me ama.

ANTONII KERKOETII AREMORICI ANIMADVERSORVM LIBER.

Ad Claudij Salmaſij Notas in Tertullianum de Pallio.

AD DIATRIBAM DE PALLIO.

STVPOR EIVS, PARALOgiſmus: pugna ſecum.

INITIVM commentandi facis à longa Diatriba: in qua partim vulgatã rem, ϰ̀ ϰαθημαξευμένην occinis; partim nouam affirmas temerè; partim ei, quod affirmaueras, contrarium ſuades.

Tertullianum diu poſtquam Chriſtianus eſſe cœpit vſurpaſſe pallium, vetus eſt. Scripſit inter alios Marſilius, cui tu proteruè, & ϰαϰοήϑως inſultas. Quare quid attinebat probare lucere meridie? Sed implendæ erant paginę, & obtrectandi locus

captandus aliquis. Ergo in Scaligerum ſuccus iſte loliginis. *Immaniter*, inquit, *errat vir maximus, qui Animaduerſionibus in Euſebium ſcripſit, primitias operum Tertulliani hunc libellum de Pallio fuiſſe.* Tu vero quid? Tertullianum à toga ad pallium tranſiuiſſe ſcribis, quando Presbyter factus eſt. Quo fretus id pronuntias? *Quoniã*, ait, *tria tempora in eius vita diſtinguenda ſunt: Vnum, quo nondum Chriſtianus: alterum quo iam Chriſtianus: tertium, quo iam Presbyter extitit. Togam eum geſtauiſſe, cum paganus adhuc eſſet, certum eſt: non mutauiſſe illum habitum, quo tempore ad Chriſtianam religionem ſe contulit, etiam res certa eſt. Sequitur certiſſimum illud eſſe, tunc veſtem mutaſſe, cùm in Presbyterium cooptatus eſt.* Itane Grammaticorum columen Dialecticum agis? Tu tria tempora in diuiſione tua poſueras; quorum ſingula latiùs patẽt. Nam & paganus aliquandiu vixit, & Chriſtianus, antequam fieret Presbyter, aliquot annos fuit; reliquam ætatem in ſacerdotio degit. Quare tria illa tempora vitam omnem Tertulliani continent. Proinde horum in aliquo veſtem mutatam oportuit. Verum vbi ad probationem ventum eſt; tùm tu vnum tantum.

Salmaſius. pag. 7.

Pag. 5.

modo tempus, hoc eſt prius ſpatium, integrum ſtatuis, reliqua duo non tempora, ſed temporum momenta & initia ſubijcis. Nam quo tempore ſe ad religionem Chriſtianam contulit, non illud totum tempus eſt, quo Chriſtianus fuit, ſed initium & ingreſſus. Similiter tẽpus illud, quo in Presbyterium cooptatus eſt, pars eſt totius temporis, quod in Presbyterio tranſegit. Quare inſulſa, & ἀμεθόδευτος eſt iſta ſumptio. Sed paralogiſmum tuum prout à te conceptus eſt, recognoſce, niſi iam pudet. Neceſſe eſt Tertullianum pallium mutaſſe toga in aliquo trium horum temporum; vel quo nondum Chriſtianus erat; vel quo iam Chriſtianus; vel quo iam Presbyter extitit. Non mutauit eo tempore, quo nondum Chriſtianus fuit: nec eo, quo ſe Chriſtianam ad fidem tranſtulit; igitur tùm mutauit, cùm in Presbyterum cooptatus eſt. Vt feſtiuum ſyllogiſmi iſtius acumen mage percipias, tuapte in re familiari te exemplo docebo. Audio te iam ætatem mediam attigiſſe. Audio, inquam. Nam, vt ſcripta tua ſunt, vix egreſſum te pueritiâ credideram. Veruntamen ætate iam tu media es. Fac modo trifariam vitæ tuæ interualla partiar; in infantiam;

quam ſub nutrice, & baiulis egiſti; pueritiam, qua ſub præceptoribus, humanioribus doctrinis vtcumque tinctus es: ac reliquam ætatem denique, quam hactenus degis: Tum ita diſputem: Salmaſius Commentarios ad Tertullianum de Pallio in aliqua trium iſtarum ætatis partiũ edidit. Non cum adhuc infans eſſet; neque cum Ludimagiſtris operam daret. Igitur ſtatim edidit, atque è ludo, & pueritia eſt egreſſus. Vides abſurditatem. Eiuſdemmodi eſt & in tua illa ratiocinatione. Proinde eiuſmodi eſſe περιστολὴν oportuit: Non mutauit eo tempore, quo nondũ Chriſtianus fuit; nec eo quo Chriſtianus vixit. Igitur eo tempore, quod inter Presbyteros tranſegit. Vt aliquid colligeres: vt quamuis mendax, tamen non ridiculus ratiocinator eſſes, ita tibi, ſiquid ſaperes, concludendus ſyllogiſmis fuit. Quid ſi enim parte in aliqua temporis huius, quod ante ſacerdotium in Chriſtianiſmo habuit, mutaſſe dicam? Quid ſi aliquanto poſt ſuſceptum ſacerdotium? Hoc enim per te licere paulo poſtea monſtrabitur. Tu in ingreſſu ipſo Presbyterij mutaſſe vis; & confectam tibi rem ratiocinatione iſta vaniſſima putas: Erras mi homo. Dicat aliquis: Quid intereſt

tereſt ineunte an ſuſcepto iam ſacerdotio mutauerit? Ad rem non multum, pertinet: Ad ineptiam Grammatici, & temerariam obſeruationem, plurimum. Nam ex eo quod in ingreſſu ipſo ſacerdotij togam poſuerit, ariolatur; Sacerdotes omnes, & Clericos Philoſophorum habitum induiſſe. *Quemadmodum*, ait, *Græci generis haud alij fermè τρίβωνα, ſiue pallium ſolíti erant vſurpare, quàm qui Philoſophos profiterentur; ſic inter Chriſtianos habitum illum Philoſophicum, hoc eſt pallium, nemo tunc temporis vſurpauit, niſi qui Chriſtianum vere Philoſophum agere vellet. Nam qui diſciplinæ Chriſtianæ diligentiſſimos & exactiſſimos cultores præſtare volebant in omnibus, hi Chriſtiani Philoſophi erant, & dicebantur. Tales Tertulliani ætate Epiſcopi, Presbyteriique, & omnes Clerici, ac poſtea Monachi.* P. 8. Vide cætera; maximè pag. 16. Ibi ſucceſſores Apoſtolorum Epiſcopos, Presbyteroſque primis Eccleſiæ temporibus eorum in veſtitu conſuetudinem imitatos eſſe dicit; hoc eſt pallijs vſos: & quidem ſolos. Eius enim verba ſunt pag. 17. *Et pallium illud eſt, quod ſacerdotalis habitus nomine inſigniuit Tertullianus, quodque à Solis ſacerdotibus gerebatur, non ab omnibus paſſi-*

uitus Chriſtianis vſurpabatur. Quamobrem quod Tertullianus cum ſacerdotium adiit, & ex Laïco Clericus factus eſt, pallium vſurparit, ex ço probat, quod Presbyteri omnes palliati forent. Nam & omnes fuiſſe antea dixit; & niſi diceret, fruſtra ratiocinaretur. Si enim togatis, aut alio cultu indutis eſſe licuit, quid neceſſe eſt in ingreſſu ſacerdotij pallium ſumpſiſſe Tertullianum, aut de pallio ſcripſiſſe? Id enim aliquot poſt annis potuit. Quare demonſtrandum hoc erat, ſacerdotes omnes, omnes Clericos, ἀσκητὰς, & palliatos fuiſſe. Hoc quia probatum non eſt; quia nugarum, & φλυαρίας in aliis omnibus, quã ibi, vbi oportebat, affatim conſumpſit, manet illud ἀναπόδεικτον, quod Grammatici proprium eſt, & caninæ illius cœnæ caput; Tertullianum in aditu Clericatus pallium vel vſurpaſſe, vel ſtylo celebraſſe. Verum quid hîc argumenta quærimus? Dabo vel ipſum authorem commenti paucis pòſt verſibus retractantem quæ temerè docuerat. Duo conſtituerat: Alterum Clericos omnes pallium induiſſe: alterum ſolos hoc geſſiſſe. Pag. 19. ſui & pudoris oblitus; *Cæterum*, inquit, *ne illa quidem ipſa tempeſtate perpetuum hoc fuit, aut pro re-*

gula obſeruatum, vt omnes Clerici pallium ſumerent, aut ſoli iſtum habitum vſurparent? Multos quippe ex laïcis, propter ἄσκησιν, hac eadem veſte Philoſophica, & aſcetica vſos eſſe ſcimus; & ex Presbyteris eos ſolos, qui aſceticam profiterentur. Vaniſſime mortalium, vbi es cum iſta ſcribis? πᾶ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι; Adeo nos lectores tuos contemnis, vt tam abſurda, tam inepta, tam ridicula texas, ac retexas? Didiceramus Clericos omnes, ac ſolos, palliatos inter Chriſtianos fuiſſe. Tu id pro tua authoritate perſuadere volueras. Nunc contrarium occinis: & ne quid ad ſtuporem deſit, etiam varijs authorum teſtimonijs approbas. Fauebo tibi, & vtcumque conatu tuo poſterius hoc impulſum fatebor. Quanquam quid erat negotij, rem omnibus peruiam, ac facilem adſtruere? Niſi fortè dubitamus, fuiſſe inter Presbyteros, & Laïcos Chriſtianos quoſpiam, qui cæteris laxius viuerent, ac mollius veſtirentur? Hoc probare velle, eſt, quod ſæpe facis, otio, & charta οὐκ εἰς δέον παραχρήσασθαι.

In altero vero, quod iſti contrarium eſt ex diametro, quàm ineptus fueras! Sacerdotes ſolos palliatos fuiſſe, inde colli-

gebas, quoniã Tertullianus cap. 4.libri huius ſacerdotem ſuggeſtum vocat pallium. Ita enim, vt in prima editione legitur,ſcribendum pugnas; nõ vt vulgò,*ſacer habitus*. Fac nõ repugnem. An ideo ſequitur ad ſolos Chriſtianorum ſacerdotes pertinere? Si ſequitur: Ergo nullus præter illos habuit. Quod tu quidem hîc dicis; ſed,quod abſurditatem ſuperet omnem, paulo poſt reuocas. Expergiſcere ſodes, & Tertullianum,cuius in lectione tritum te eſſe gloriaris, intellige, ſi potes. Non dicit ſacerdotem eſſe ſuggeſtum; quia ſacerdotum Chriſtianorum eſt: ſed quia omnibus apicibus, ac tutulis, quæ gentilium ſacerdotum inſignia ſunt, præſtat. *Enimuerò*, inquit, *cum hanc primum ſapientiam veſtit,quæ vaniſsimis ſuperſtitionibus renuit, tunc certiſsime pallium ſuper omnes exuuias, & peplos auguſta veſtis, ſuperque omnes apices ac tutulos ſacerdos ſuggeſtus.* Ergo ridiculè: quis negat? ſubijcis pag. 7. *Ex hoc vel vnico Tertulliani loco ſatis liquidè liquere arbitror, illa ætate non paſsiuum ac communem omnium,qui Chriſtianam fidem profiterentur, habitum fuiſſe pallium, ſed ſolorum Presbyterorum.* Si hoc ex illo loco conſtat, ſolos Presbyteros pallium geſſiſ-

ſe; cur ſolos geſſiſſe negas pag. 19. ac tecum ipſe turpiſſimè velitaris?

Salmaſij in reliqua Diatriba ſtupor.

Age in ipſo Diatribæ totius argumento nihil fueris; quàm multa ſparſim, non minus temeraria, minuſque boni ſenſus vacua ſunt? Non excutiam ſordes omnes; ſed vt quodque in oculos incurrerit, hîc adſcribam. Scribit pag. 12. & 13, Apoſtolos non lacernatos, aut pænulatos, ſed palliatos fuiſſe. Cedo vnde iſtud habes? De pallijs, cuiuſmodi Philoſophorum erant, loquimur. Nam pallijs, id eſt exteriori veſte, vſos eſſe, nihil erat quòd nos doceres. Sed pallium, vt dixi, Philoſophicum agitur. Vis enim Chriſtianos ſacerdotes ideo pallium cepiſſe, quòd Apoſtolos imitarentur. Si de pallio vniuersè loqueris; nihil loqueris. Nam & Græci omnes, & Iudæi tam Chriſtiani, quàm cuiuſuis ſectæ, palliati. Sed intererat materiæ ac formæ. Fruſtra igitur es, cùm ideo Philoſophico pallio præditos doces. Crediſne aliter Apoſtolos, ac Iudæos cæteros veſtitos eſſe? Tu ne Chriſtum quidem ip-

ſum aliter dixeris. Si ergo Iudaicis pallijs vſi ſunt Apoſtoli; Chriſtianos Clericos Apoſtolorum imitatione Philoſophorum induiſſe Pallia, non efficis, niſi & illud ſuades, Iudæorum Pallia fuiſſe, cuiuſmodi erant Philoſophorum. Hæc enim ſyllogiſmi, ſi vllus eſt, vis & ratio poſtulat. Aliter argumentari, deſipere eſt. Ea te ratiocinationis ſeries in fatuam illam, & ſtupidam hæſitationem compulit: *an Pallia, quibus amicti erant Apoſtoli ac Diſcipuli*
P. 16. *Chriſti, Vſquequaque cum Philoſophico Pallio materia & forma conuenirent.* Tune Apoſtolos, & Iudæos, & Iudæis operam præcipuè nauare iuſſos, & cum eis aſſiduè verſantes, aliter ac Iudæos cæteros, veſtiſſe dubites? Non illud cogitaſti, quàm abſurdum ſit, ad Gentilium Philoſophorum habitum defeciſſe Diſcipulos? quod ſi facerent, tùm omnis cum Iudæis intercluſa conſuetudo foret; nec illos Iudæi reliqui, in quibus conuertendis maximè laborabant, ad conuictum & colloquium admitterent. Ad ſummam, Apoſtoli eodem amictu fuere, quo Chriſtus dominus. Tam hi, quàm illi Iudaico more culti. Niſi ſic inſanis, vt & Chriſtum Philoſophico Pallio velis indutum. Parum aberit, quin &

Cynicam, illi peram, & baculum tribuas: aut in Apollonij, aliorumque ordinem redigas. Planè Philoſophicum Pallium vſurpaſſe Chriſtum colligis, ſi quid in argumentatione tua communis ſenſus eſt. Sed nullus eſt: nec tu ipſe negaueris, ſi ad eas nugas reſpexeris, quæ cum oratione tua complexę ſunt. Nam qua nos tandem re doctiores facis? Tertullianum ſumpſiſſe Pallium diſcemus, non tum primum, cum Chriſto nomen dedit? Olim antequam ederes iſta, ſciebamus. At ſtatim atque Presbyter eſt factus? Nonnihil promoues, ſi id probas. Probas autem? quî tandem? Quia Clerici omnes palliati, & ſoli. Mirabamur, & nos profeciſſe aliquid te magiſtro: volupe erat. Sed ecce repentè tu ſtylum vertis, & contrarium reſcribis. Nam nec omnes, nec ſolos Palliatos fuiſſe paulo poſt aſſeris. Ais: negas. Quo teneam vultum mutantem Protea nodo? Credo hic te vel conſtringet, vel offocabit laqueus. Duo, vt ſcis, ἀντιφατικὰ vera ſimul eſſe nequeunt; quin alterum verum, alterum falſum ſit oportet. Tu duo quædam pronuntias: Vnum, Clericos & omnes, & ſolos è Chriſtianis fuiſſe Palliatos: alterum, neque omnes neque ſolos fuiſſe. Ambo vera eſſe non poſſunt: In altero

igitur falſus es. Aut fatere, quod res eſt: aut dic aliquem dic Quintiliane colorē. Poſſumne confeſſionem inſcitiæ abs te ingratiis extūdere? Nolo me nimis odioſum & aſſiduum querare. Tranſeamus ad alia. Pag.31. Euſtathium Sebaſtenum in Synodo Gangrenſi damnatum ideo vis; *quoniam Epiſcopos, Presbyteroſque ad antiquam ἄσκησιν, & Pallium reducere vellet; veſtemque communem, & ciuilem habitum in ſacerdotibus condemnaret, quos ad Philoſophicum Pallium reuocabat.* Non magis quod ſacerdotes à communi veſte ad ἀσκητικὸν περιβόλαιον transferret, damnatus eſt, quàm quod cæteros omnes etiam Laicos. Lege Concilij Canones attentius. Quare vrinum eſt, μάτευμα tuum: Euſtathiū ad cultum veterem Epiſcopos reuocare inſtituiſſe. Si aū priſtinū habitū ſectatores ſuos reuocauit Euſtathius, communis omniū & paſſiuus Chriſtianorum habitus Pallium fuerit. Hoc non concedis. Alterum ergo de Euſtathio retractabis, ſi riſum caues. Zonaræ, & Balſamoni deinde inequitas,
P.32. quos perperam dicis βήρους in Concilio Gangrenſi interpretatos eſſe, σπειρωτὰς ἐσθῆτας. Tu enim birros communem veſtem illîc eſſe putas. In quo, qui tuus eſt mos, pugnas tecum. Etenim pa.

26. *pro conditione & dignitate geſtantium, cùm de colore, tum de materia pretioſiores fuiſſe birros ais, aut minus pretioſôs*: Et eadem pagina, *tam plebem, quàm magiſtratus, quos* ἐν τέλει *vocat Palladius, birros geſtaſſe concedis*: imo & ſeruos, pag. 25. Cur igitur Euſtathius, qui aſceticę vitæ auſteritatem, & pompæ contemptum inducere properaret, amictu Pallij ſuos vti vellet, & eos, qui cùm reuerentia Birros habebant, damnaret, ſi & minus pretioſi poterant eſſe birri, & ab infima plebe, ac ſeruis vſurpari? Quocirca niſi valdius cauſam tuam probes, non deterrebis nos, quin cum Græcis interpretibus & Cuiacio, βήρȣς, in canone Gangrenſi pretioſum aliquod genus veſtis, & à plebeio vſu remotum intelligamus. P. 29. Principibus Romanis magno quondã dedecori aſſeris fuiſſe, procedere cum Dalmaticis: idque à Lampridio notatũ in Commodo, & Alagabalo. Nõ illud, ὦ κέπφε, reprehenſum in iſtis, quod cum Dalmaticis procederẽt; ſed quod in ijs ſolis. Quid ſi notatôs legas ab Auguſto Romanos, quod tunicati procederent, ideone colligas tunicarum vſum probroſum fuiſſe? Sed de proluſione tua, qui merus ludus eſt, hactenus. Ad Tertullianum modo veniamus.

ANTONII KERKOETII ANIMADVERSA.

Ad Claudij Salmaſij Notas in Tertullianum de Pallio.

SALMASII CACOETHES, & liuor.

NON prius tuas hallucinationes excutiam, quàm κακοήθειαν, & rubiginem exterſero, quæ in omnibus ſcriptis tuis eminet. Huius non minimum eſt indicium, quòd ſi quid vni fortè commentatori minus aptum exciderit, tu perinde id agitas, ac ſi omniũ ea culpa foret. Proinde non ita concipis: Errauit Marſilius; aut Mercerus, aut Pamelius; aut alius denique: neque ita ſaltem; vt in viro maximo nonnunquam f..ci;: Immaniter errauit vir maxinius. Verum tu ad omnes interpretes transfers vnius lapſum. Id adeo initio notarum licet animaduertere. Ve-
p.36. tus lectio eſt. *Cum ita vacat, ac iuuat habi-*

tus denotare pacis. Hæc & annona & otia ab Imperio, & à cœlo. Bene eſt, &c. Ita Rhenani editio prima: nec aliter, ſcio, tuus ille ſcriptus codex, qui tibi inſtar eſt ſacræ anchoræ. Ciaconius vir eruditus aliter interpunxit: tu eius coniecturam ſecutus es. Nec factum improbo. Placuit ante te Mercero. Marſilius repudiauit. Cur quod vnius, aut alterius eſt interpretis, adſcribis omnibus? *In ipſo*, inquit, *limine magnum interpretum peccatum deprehendere licet, vt inde iudicium fieri poſsit, quid ab illis boni tota poſtea commentatione debeat expectari.* Arroganter & odioſè. Itáne nos ad legenda tua ſpecie humanitatis & candoris allicis? Non tam loquaciter Ioannes Mercerus. Vno verbo defungitur: *Probo Ciaconij interpretationem.* Tu contumelijs & importunitate tua laxas Notarum ſpatia. Præterea facis facinus; dum vnius hominis coniecturam, quamlibet probabilem, in contextum intrudis nouæ tuæ editionis, quam ex veteribus libris emendatam falsò iactitas. Num negare potes eam ipſam interpunctionem à coniectura, non à libris eſſe? Mendacij ergo, & κακοηθείας tete alligas. Hæc prima ſcabies defricanda fuit. Sequitur: *Pacis hæc & annona, &c.* Le-

go:pacis hæc & annona & otia ab imperio, & à cœlo. Benè eſt. Tamen &c. Sic enim prima editio, & manuſcripti codices. Tu aliter ſcribis. Non ſapis.

Salmaſij hallucinatio.

P. 38. *Nemo*, ais, *togatus, niſi & tunicatus idem.* Falleris. Romani, quos togatos fuiſſe non ignoras, olim tunicati non fuerunt. Hoc te doceo, quod non adeo rarum, tibi tamen fortaſſe nouum. Gellius l. 7. c. 3. *Viri autem Romani primò quidem ſine tunicis toga ſola amicti fuerant.* Quid manifeſtius? Temerè ergo, & inconſiderate pronuncias: *neminem togatum, niſi & tunicatum.*

Salmaſij audacia, & ſtupor.

P. 40. Tertulliani verba: *Et luminis conſilio, &c.* Audaciſſime corrector: Tune auſus Tertulliano manum inferre, & recta corrigere? Laudat ille veteres Carthaginienſium tunicas, de luminis conſilio: Hoc eſt apta coloris, & luminis temperatura; cui certum conſilium & prudentia moderatur. Eſt enim conſilium artis ac prudentiæ. Tu ſine vllo conſilio ſanam lectionem

inficis. Ais legendum *concilio*: neque id vtcumque coniectaris, quod & cuiuis liberum: Sed, quod minime ferendum, etiam in contextum inſuis. In quo triplex tuus error. Primus quòd lumen dicis non de quolibet colore, ſed de purpureo hîc vſurpari. Si hoc tibi nego, quî reuincis? Scio lumen purpuræ, & chlamydes veri luminis pro purpureis, & alia id genus apud auctores legi; quæ tu ex Marſilio, & cæteris interpretibus, quorum analecta liguris, pro nouis attuliſti. Ergóne vbicumque lumen de colore dicitur, purpuram intelliges? Plinius lib. xxxv. cap. v. de pictura loquens ſcribit inuentum ab ea arte lumen atque vmbras, differentia colorum alterna vice ſeſe excitante. Num de ſolo purpureo colore ſermo eſt Plinio? Lumen itaque coloris vigor eſt. ἄνθος Græci, noſtri luſtrum vocitant. Sed mirificum acumen ratiocinationis. Plinius alicubi dixit; veſtem purpura illuminari. Ergo lumen hîc pro purpura. Reddo tibi tuum. Lucas Euangeliſta tanto maioris, quàm Plinius, authoritatis dicit epulonem illum diuitem quotidie indutum purpura & byſſo. Igitur quiſquis induitur, vt Telephus pannoſus, purpuram & byſſum induit. Non te pu-

det? Tam lumē coloribus omnibus, quàm iudutus veſtibus, commune vocabulum eſt. Altera hallucinatio; quod *concilium* pro *conſilium* ſcribi iubes. Nunquam te audiemus. Meminerat lectionis huius ante te Marſilius; & meritò reiecerat. Nam & cap. IV. *nominis conſilium* Florens dixit; Non, vt ineptis, *concilium*. Vtrobique nugaris. Pergis verò, & planiſſimo loco cōmentum aſpergis putidæ interpretationis, & inſulſæ. *Sciendum eſt*, ais, *has Carthaginienſium tunicas, non totas purpureas fuiſſe, vt quidam ſibi falſo perſuaſerunt, ſed tantum purpura clauatas.* Ideo concilium luminis artem quandam eſſe dicis, qua claui purpurei ſic intexebantur, vt clauus à clauo non diſſentiret. Verùm quis tibi dixit Carthaginienſium tunicas clauatas fuiſſe? qua authoritate probas? Fuerint nec ne purpureæ, nihil ad rem pertinet. Tu neque purpureas fuiſſe, & clauos habuiſſe demonſtrare debes. Ni id facis, fruſtra es, qui id nos doceas, quod neſcis.

P. 41.

Παρχάραγμα, & quiſquiliæ correctionum Salmaſianarum.

P. 42. Tertullianus Carthaginienſium tuni-

cas laudat *à menſuræ temperamento; quod neque trans crura prodigè, nec intra genua inuerecundè, &c.* Vbi verbum aliquod ſubaudiendum; *protenderentur*, aut eiuſmodi. Salmaſius pro aduerbijs nomina ſubſtituit; ac *prodigæ, inuerecundæ, parcæ, & arctæ*, legendum deierat. Et, *Inepti ſunt*, ait, *qui his lectiones ex manuſcriptis defendunt.* Cur ineptos illos voces, potius dicere? Quanto tu ineptior, & inuerecũdior, qui primę editioni, & manuſcriptis omnibus, nihil præter ſupercilium opponis? At ego mirabar, quid tantopere intereſſet, hæc aduerbia an nomina fieri. In ſequente pagina μικρολογίας huius cauſam aperuit. Noluit videlicet perire ſibi nouam voculam, quam Latinis auribus inauditam ex fęce Grammaticarum obſeruationum eruit. Cum ex eo, quod vulgò in codicibus extat, nec manibus parce, ſuſpicatur *nomen* P. 44.
eſſe parus, à quo parum: vt à rarus rarum, à paullus paullum. Abeant in malum quiſquiliæ iſtæ, atque furfures, quę ſunt pabula ieiunitatis tuę. Nunquam obtinebis, vt parus Latina vox ſit. Tum tu vero fallis ſciens, aut λημᾶς κολοκύνθαις, qui in prima editione ſcriptum eſſe dicis, vt & in omnibus ſcriptis, *paræ.* Nam parce vbique

legitur. Ego ſi quid ψυχρὸν, & Σαλμασιῶον, effutire vellem, pertenderem *baræ* legendum, ab eo quod eſt *Barus*, i. *grauis*, βαρὺς. Nec deeſſent ex Vitruuio barycæ,& alia ſexcenta:vt à πλατύς, fit *platus*, & *plautus*, ab ἄλυς, allucinor. *Baræ* ergo tunicæ graues, & moleſtæ. Aut certè *varæ*, id eſt diſtortæ. Dices hæc eſſe nugatoria. Putáſne noſtrum aliud eſſe de tuis iudicium? In iſtiuſmodi tricis, titiuillatijs, ac ſoricinis nænijs enucleandis otio & ingenio malè vteris. Et te, cum nihil aliud ſcias, doctum ac literatum putas.

Correctoris temeritas.

P. 45. Turbas omnia, quo coniecturas tuas ſancias. Rhenani codices, è quibus editiones priores accuratæ ſunt, mendosè habebant: *Sed nec cingulo ſinus diuidere expeditum beate quadrata iuſtitia.* Alij ex Vaticanis, & alijs veteribus emendarunt. Tu vnus inuentus es, qui vetus monſtrum recuderes, & glandem illam frangere malles. Agedum. Sed cui tandem adeo barbaram, impeditam, & inextricabilem ſententiam probas? Parentheſis iſta· *Nec cingulo ſinus diuidere expeditum*; otioſa eſt

eſt quadrata iuſtitia, ridicula. Satius eſt communem retinere, qua tu contentus eſſes, niſi te nouitatis febricula iactaret. Cum de cingulo verbum antea nullum fecerit, nõ tam ineptum membrum florens inculcaret. Dicam iterum: Beatus es inuentis iſtis, quæ nemini, niſi tibi, in mentem vnquam venirent. Porro de inſtitis, quod eas Carthaginienſibus tunicis aſſutas negas, nos affirmamus, vtri fidem merebuntur?

Sequitur: *In viris autem pallij extrinſecus habitus:* Quæris cùm de fœmineis veſtibus nullus antea ſermo ſit, cur κατὰ διαστολὼ ad viriles tranſitum fecerit. Reſpõdeo tibi: tunicam vtriuſque ſexus fuiſſe: ſuper eas viros inieciſſe pallia. ea nunc deſcribi. Quid hiſces? licet obſoleta recoquas, οὐ πείσεις οὐδ' ἂν πείσῃς. P. 49.

Salmaſij hæſitatio imperitiſſima in duplici quæſtione diſcuſſa.

Mirum tibi viſum eſt, quod Tertullianus exteriorem Carthaginienſium habitum pallium appellauerit. Contra quod obiicis, tunicas ſolas habuiſſe; idque ex eo probas, quod *tunicatam iuuen-* P. 53.

tutem Ennius Carthaginienſes nominat; quodque apud Plautum in Pœnulo Hãno Carthaginienſis tunicatus deſcribitur. Hoc te magis mirari poſſe, quàm explicare dicis. Facilè tibi credimus. Nam & quæ te putas explicare, non explicas. Volo tibi ob hanc ingenuam ignorantiæ tuæ confeſſionem, beneficium repẽdere, & ſcrupulum eximere, qui te torquet. Tunicatos Carthaginienſes cùm audis, non illud valet, vt nunquam omninò pallium ſumpſerint. Nam aut peregrè cùm ibant, aut domi cùm eſſent, aut cùm liberius, ac ſolutiùs agere vellent, pallium ponebant: quod & hodiéque facimus. Sic in prælio & alibi tunicati. At publicè in foro, in ſenatu; aliquando denique, togati. Ac ſi quis in te ſenſus eſſet, facilè hæc animaduerteres, ex Romanorum exemplo, quos Horatij & Quĩntiliani æuo, & infra, ſcis toga ſæpius vſos, etiam tenuiores in officiis & affectatione beatorum. Docent hoc multis locis Martialis, Iuuenalis, & cæteri. Aliâs plerumque tunicati erant. Idem & de Carthaginienſibus ratio perſuadet. Qui certis locis ac temporibus, cùm honeſtè prodire vellent, pallium vſurpabant.

Accipe &aliud magis hoc penetrabile telum,quo inſcitia tua iuguletur: etſi tu illam fateris. Sed quam nullius ſis, aut valde hebetis iudicij,ex hoc vno diſce. Carthaginienſes pallio quondam vſos non eſſe, probas inde, quia tunicata iuuentus appellatur ab Ennio; quod nihil præter tunicas haberent. Vide quid ſtatuas. Nam eodem argumento perficies, ne Romanos quidem ipſos præter tunicam habuiſſe quicquam: hoc eſt ne pænulam quidem. Atqui tu ſecus doces pag. 23. *Nigras*,inquis,*pænulas amictui habebat Romana plebs. Hinc pullata turba, & pullati circuli.* An non & Romana plebs tunicata dicitur? Cùm ergo nihil hæc obſtet ratio, appellatiove, quin præter tunicas, pænulas etiam Romana plebs adhibuerit, idem & de Carthaginienſibus perſuadere tibi debes;licet tunicati vocentur,non palliis propterea caruiſſe. Dic mihi, ex omni ſcriptorum turba, quis ad hanc diem vixerit,qui in tam facili quæſtione, vſque adeò ſupinum ſe, hebetem,ac ridiculum oſtenderit. Profectò cùm hæc apud te recognoſces, millies optabis nunquam iſtas attigiſſe literas. Atque vt tecum de ea re finiam,

vides quàm leui niſu quantam tibi nubem hallucinationum, ſomniorum, tergiuerſationum, nugarùm diſiecerim. Pro ea re, ſi quid in te ciuilitatis eſt, gratiam mihi debebis.

Pergam, & aliud te docebo, quod ſæpius faciendum eſſe prouideo. Credis non conuenire Tertulliano cum Plauto. Hic enim Carthaginienſi Hannoni longiores dat tunicas; ille breues ac ſubſtrictas. Infelix; tàm es ſtupidus, vt Tertullianum de vetuſtiſſimis temporibus loqui non ſentias, priuſquam cum Romanis bella geſſiſſent, aut ſe illis vehementiùs immiſcuiſſent: Plautum verò de recentiore æuo, poſtquàm à Romanis victi fractique ſunt. Monet ecce Tertullianus ante appulſum Scipionem, pallio vſos eſſe: ſub eius aduentum ad togam ſe contuliſſe. Quamdiu pallio vſi ſunt, breuiores habuere tunicas; frugi enim tunc erant: poſtea cum luxu & togas etiam longiores adſciuere. Tertullianum audi: qui paulo poſt idipſum citra ambages explicat: *Exinde*, nempe ex quo togati eſtis, *tunicam longiorem cinctu arbitrante ſuſpenditis.* Quocirca Pœnus ille Plautinus eo tēpore inductus eſt in ſcenam,

quo ad Carthaginienſes toga peruenerat. Eam verò domi reliquerat, & cum tunica longiore prodibat. Ad hæc quid vetat alios aliis longiores habere tunicas? Horatius:

Malthinus tunicis demiſſis ambulat; eſt qui
Inguen ad obſcœnum demiſſus vſq; facetus.

Vterque Romanus; & tamen in cultu præter morem ridiculus: Quidni Pœnum in theatro præter communem cõſuetudinem lõngiore cùm tunica produci liceat? Tot modis dubitationi tuæ poteſt occurri. Etſi non te noui: tamen puſilli te animi, & ingenij oportet eſſe, quem tantillæ res ad incitas redigunt. De Pallio philoſophico Tertulliani, iterum muginaris neſcio quid. Sed puto te iam diſplicere tibi; ſi ea legiſti, quæ ad Diatribam tuam adnotauimus.

Salmaſij fœda hallucinatio. Quadratæ veſtes & rotundę quid ſint. Chlamydis figura. Hęc omnia ab illo non intellecta.

VÆ capiti tuo, ſi te plagoſi magiſtri, quibus à patre tuo exemptus

es,ad tribunal ſuum citauerint. Nullis blanditiis, aut exorabulis ſcuticas à corio tuo depelles. Quæ,malùm, iſtæc imperitia eſt? Ita tibi cœlites omnes opto propitios,vt neſciam vtrum ridere diſſutis vndique malis,an ſtomachari, & ſuccenſere tibi debeam. Critica! critica! quã malè hodie tecum agitur,quæ in eas manus incideris. Enimuerò, Salmaſi, cùm vbique offendis ac ceſpitas, tum nuſquam magis clitellas ferus impingis, quàm ibi vbi vehementiùs eniteris. Ne plura. Niſi hîc hodie confeſſionem à te temeritatis, ἀλογιστίας, ἀναισθησίας, ſtupiditatis expreſſero, verbum vltra non addam.

P. 56. 57. Quadratæ veſtes quid eſſent; quid rotundæ,quæſitum eſt à te, & quod inter ambas diſcrimen. Hoc te, quod nemo hactenus explicauit, oſtendis eſſe dicturum. Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu? *Veſtes*,inquit, *quæ circa imas oras apertæ non erant, ſed vndique concluſæ, & commiſſæ, quia angulos nullos habent, rotundæ ſunt. Rotundis contrariæ quadratæ. eæ ab ſummo ad imum apertæ: vnde quatuor angulos habuiſſe neceſſe eſt. Eiuſmodi fuere pallia Græcorum, & pallia mulierum, ſaga quoque militaria & paludamenta impe-*

ratorum. Tum poſtea ſola quadrata veſtimenta πτέρυγας habuiſſe dicis, quæ fibulis vel in humero, vel in pectore tenebantur, & aperta erant. Hæc ſumma eſt doctrinæ tuæ, quæ hactenus omnes latuerat. Vis ergo quadratas eas fuiſſe veſtes, quæ apertæ erant; cuiuſmodi & pallia Græcorum, & paludamenta fuerunt. Hanc tuam iocularem imperitiam non argumentis vrgebo meis. Tua te oratione conuincam. In eadem pagina 57 paucis poſt verſibus, contraria dicis, ac pugnantia. Chlamydem enim rotundã agnoſcis, ex Ammonio, loco illo, quem profers. Vbi ille χλαῖναν inter, & χλαμύδα intereſſe ſcribit, quòd læna quadrangulum ſit ἱμάτιον, ἡ δὲ χλαμὺς εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται. quod, ſecundùm interpretationem tuam, idem eſt, ac circa extimam oram circumcluſum eſſe. Proinde Macedonica chlamys ſecundùm te clauſa vndique, nec aperta fuerit; ſed perinde ac toga totum corpus amplexa omnia contegebat. Ita in re veſtiaria inſtitutus es, vt chlamydis effigiem neſcias. Abi ſis ad ſcholam, & diſce quod vel pueri non ignorant: Chlamydem non totum ambiuiſſe corpus, ſed poſteriora

ferè tantùm, præterquàm ad pectus, & humeros, ad quos nodo colligebatur. Anteriorem partem eius apertam fuiſſe. Si vel mediocriter litteris iiſce inſtructus eſſes, didiciſſes pridem, quid ſit χλαμυδοειδὲς σχῆμα, quod habitabili terræ tribuit Strabo lib. II. & Macrobius: tum Alexandriæ Strabo idem; & Plutarchus Alexandro. Huius aream & ſpatium deſignauit Dinocrates Architectus ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato laciniosſam, ait Plinius lib. V. cap. X. Plutarchus ἐν πεδίῳ μεγάλῳ κυκλοτερῆ κόλπον ἦγον, οὗ τὴν ἐντὸς περιφέρειαν εὐθεῖαι βάσεις ὥσπερ ἀπὸ κρασπέδων εἰς σχῆμα χλαμύδος ὑπελάμβανον. Iſidorus lib. XIX. C. XXIV. *Chlamys eſt, quæ ex ima parte induitur, neque conſuitur, ſed fibula infrænatur.* Quare tuus eſt ille ſtupor plumbeus, qui chlamydem vndique circumcluſam facis. Quod ſi aperta chlamys, & eadem nihilominus rotunda, & κυκλοτερὴς, ridicula eſt obſeruatio tua; veſtes omnes apertas ab imo ad ſummum quatuor angulos habuiſſe neceſſariò: indéque quadrangulas vocatas. Ecce tibi de toga ipſa certamen eſt inter eruditos. Sigonius apertam facit; Manutius, & alij vulgò circumcluſam. Tam

hi, quàm iſti rotundam fuiſſe non dubitant. Vt autem diſputas, nulla alia rotunda fuerit veſtis, quàm quæ circulum impleret. Ideo de toga: *hæc*, ais, *nullum angulum in imo habebat; ſed cohibili circumcirca remeans ambitu, & clauſa vndique, omnia corporis contegebat.* Hoc verum non eſt: nam toga non κυκλοτερὴς hoc ſenſu, vt orbe eſſet abſoluto: ſed ἡμικύκλιος. Dionyſ. lib. III. de toga. πλὴν οὐ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι, ἀλλ' ἡμικύκλιον. Semicirculi figuram togę tribuit, quod apertam fuiſſe ſuadere videtur. Ni ita eſt; certe κυκλοτερὴς ad ſenſum tuum non fuerit: ſed quadrata potius, quoniam ab ima parte angulos habuit: Euolue te ex iis anguſtiis, ac ſalebris, ſi potes. ſed illûc reuertor. Chlamys itaque κυκλοτερὴς & rotunda, quod circinata propemodum rotunditate, ſine angulis, ad imum ſaltẽ, eſſet. Hoc eſt συνῆχθαι περὶ τὰ κάτω: quod Ammonius dicit; non vt interpretaris, totum eſſe circumcluſum. Circulus συνάγεσθαι dicitur, ob deuexitatem. Cuiuſmodi chlamydis ora fuit; non latera inter ſe, quæ nulla commiſſura nectebantur. Hęc erit veſtium rotunditas, etiam palliorum quorumdam. Cur enim ſignãter pallia qua-

drata nominentur, niſi alia eſſent non quadrata. Omne pallium, vt tu etiã vis, apertũ, & σχιστὸν fuit; non omne quadratũ. Alioqui non diceret Feſt⁹, *Riciniũ, palliũ eſſe muliebre quadratũ*. Ad hæc paludamẽtũ imperatorũ idẽ fuit cum chlamyde, vt tu ipſe Cõm. ad Hiſt. Aug. ſignificas, ex Gloſſario: *Paludamentum* χλαμὺς μαντίον: & vulgo ſcis χλαμύδα Paludamentum reddi. Quantum ergo deliras, qui hîc paludamentum ideo quadratum eſſe dicis, quòd ſit apertum; chlamydem quæ aut idem eſt, aut aperta certè perinde eſt, rotundam eſſe fingis, quod non ſit aperta? Hæc ſunt eiuſmodi, vt miſerrimum iſtîc naufragium feceris famæ, & exiſtimationis tuæ. Nimium os tuum videre velim, cùm hæc leges. Me quidem, cùm ſcriberem, pudebat tui.

In notis Hiſt. Aug. p. 343.

Tertullianus explicatus. Tricę Salmaſij.

p. 64. Quid tricaris, & nodum in ſcirpo quæris? Marſilius in his Tertulliani verbis: *Inſtar eius hodie iam veſtro Æſculapio ſacerdotium eſt*; τὸ, iam perinde habet, atque etiam. nam Æſculapius, qui olim

Græcorum, & Romanorum fuit, etiam veſter eſſe cœpit. Quid obtrectaris? Neque n. aliter explicas, & odioſus es. De Adrumeto ſola intelligis hæc Tertulliani: & ſicubi alibi in Africa Tyros. Nõ ita eſt. Plures & aliæ Tyriorum coloniæ fuere. Vnam deſignari nihil neceſſe eſt. Ne tuum illud quidem iudicium probo: *ſalutaſſet* pro *ſalutaret*: ſicut nec *Romanum* amplector, pro *Romana*. Mira te prurigo nouitatis vrit. P. 65. P. 67.

Punica nomina; deque iis puerilis hallucinatio Salmaſij.

Teſtitrahum arietem, pro *teſtitrahum*. non tu ex manuſcripto tuo feciſti? ſed ante te Pamelius. In voce Geras, riſum tollis argutia tua. *Latini*, inquis, *potius dicerent Geral, & Gerar, aut Gera.* Ridiculè. Putaſne Punica omnia nomina pro arbitrio in Latinum inflexa? An quia Aſdrubal, Annibal, Maharbal legis, eandem credis omnium rationem eſſe? In illis poſtrema ſyllaba Aramæa vox eſt בעל Baal, & Annibal חני בעל. Sic Belus à בעל. quare nominum priorum appendix vox eſt, quæ *Dominum* ſignificat. P. 76. Ib.

Hæc Tyrones Hebraiſmi norunt. Tu qui ſupra plebeios nihil ſapis, arbitraris, τὸ ל vbiuis habere locum.

CAPVT II.

Salmaſij περιεργία. *Tertulliani defenſa lectio.*

Sæpius ſanis locis vngues infigis, & vulnus facis, dum medicinam oſtentas.
P. 81. *Non poſſum*, ais, *concoquere. Fungitur, & ipſe mundus interim iſte.* Pro *ipſe*, ſcribendum putas, *ipſo*, &c, quod piaculare eſt, etiam in nouam tuam editionem inſeris. Fungus ſit, qui te audiat: Ego mutare te veto. Non ſapis Tertullianum. Fungitur, inquit; hoc eſt, communem rebus omnibus functionem obit ipſe etiam mundus. Et quoniam multiplex ac ſaltem duplex mundus habebatur; adiecta ideo vocula eſt, iſte. Tu me Grammaticum eſſe cogis, ſic quaſi cum pueris equitem in arundine, vel crepundia tractem. Illud præterea *ſtic*, pro *iſtic* cacozelia eſt. Poſtremò vulgata interpunctio ante *proinde*, quam & prima editio, & cæteræ omnes referunt, tuæ præſtat: quæ à te eſt, hoc eſt minimi ab iudicij Grammatico.

Ἀπαιθειάζειν. *Salmaſij imperitia in helleniſmo.*

Multùm te iactás helleniſmi ſcientia. ſed vide quàm in eo ſis infans. Ἀπαιθειάζειν ſi dicatur; non aliud eſſe cenſes, quàm τὸ αἴθειον, & ſubdiuum pellere. Si hoc extremæ imperitiæ non eſt, reliqua tibi condonabimus. At ô bone! ſi verum dicis, ergo ἀπολευκαίνειν erit candorem deterere, ἀπογλυκαίνειν, ſuauitatem detrahere, ἀποθερμαίνειν, calorem, ἀπογλαυκοῦν cæſium colorem adimere: ἀποβιάζεσθαι, vim depellere: cùm tamen contrarium ſignificent; idemque cum ſimplicibus. Sic dealbare, deliquare, defricare. De enim auget interdum, & perfectionem exprimit; vt & ἀπὸ. Sic ἀποτέλεσμα, ἀπεργάζεσθαι. Quanquam non ideo Marſilij probanda caſtigatio: Sed tua caſtiganda temeritas & inſcitia. P 86.

Plagium Salmaſij & hallucinatio.

Hic locus Tertulliani, in quo mutatio maris deſcribitur, & de tranquillo probum, de fluſtris tẽperatũ, & de decuma-

manis inquietum fieri dicitur, non tu primitus ad illum ſenſum interpretatus es, ne quid diſſimules. Legi pridem hanc eandem, quam interuertis, ſententiam apud Petauium in notis ad Orat. IV. Themiſtij, pagina 545. quare non ſolùm plagiarius es, qui rem alienam facis tuã; ſed & loquax, qui, quod ille tribus verbis expoſuit, vix quatuor paginis abſoluis. Quinetiam hoc φόειον, velut Siſyphus alter, interpolas, & Feſtum leuiter pulſas; qui fluſtra malaciam eſſe dixerat, id eſt nimiam tranquillitatem. Tibi aliud videtur; & fluſtra de ſtatu maris accipis, cùm vndabundum eſt, vt loquitur Gellius. Nos niſi tui ſimiles ſumus, tuum tibi commentum relinquemus, & Feſtum audiemus.

Salmaſij παρεγχειτικὸ. *obumandi vox reiecta.*

P. 95. Non magnam rem facis, dum quod apud Rhenani editionem comparet, reſtituis, *cauillando*, pro *ebullando*. Sed in cæteris cauillaris. Rectiſſimum eſt, quod eadem illa princeps habet editio, *& fluminum via obumbrando*. tuum, *obumando*;

vel *obhumando* à mala & audaci conie-ctura eſt. Si quid mutato opus eſſet, mallem *oblimando*. Hæc enim Latina vox eſt: obhumare barbarum, & ingenio tuo dignum. Confido non adeò deſperatas eſſe literas, vt nouum à te vocabulum, & officinæ tuæ πελαχάραγμα, pro Latino poſteritas habeat. Quod ne in pleriſque malo quandoque fato accidat, in his notis ſatagitur. Quare tuam hîc querimoniam refero. *Nihil tuas manus effugere poteſt. Cauillaris vbique, & omnia obſcuras & obumbras. ſi ſaltem communem ſenſum haberes, ferri poſſes.* Hæc tu in Correctores libri huius, & interpretes iacis; quæ in te recidunt. Sic turdus ſibi κακὸν χέζει. Inſtas tamen, & doceri te cupis, quid ſit obumbrari fluminum vias: neque enim probas, quod Marſilius de arboribus cenſuit, quæ ibi naſcuntur, vbi prius erãt flumina. Facis non malè, quòd eam interpretationem arguis. ſed heus tu! nullane alia re obumbrari fluminum aluei poſſunt? Certè ſegetibus, ac gramine veſtiri, aut arundinibus, & aliis id genus inumbrari licet; quæ humectis gaudent. Sic Pomptinas paludes, & alias ſæpè ſiccatas, ac ſationibus occupatas legiſti.

Salmaſij verba. p. 95

Vapulet ergo infelix & ſiniſtra tua correctio. Sanè nihil verius eſt, quàm quod p. 97. aſſeueras, *ſæpius in hoc opere loqui correctorem, quàm Tertullianum*. Velut eſt ſequens iſtud, *ſed & enatando, rurſus infirma mutauit, rurſus orbis alius*. Perſpicuum eſt rectè hîc *infima* pro, *infirma*, ſubſtitui. Neque tamen factum laudo; ſi abſque authore vetuſto aliquo codice mutatum fuerit. Satis erat ad oram adnotaſſe. Tibi *in forma*, non vt in Rhenani editione eſt, infirma, placuit. ὄναιο τῆς εὐστοχίας. Verùm interpunctionem tuam & ſententiam cur inuita Minerua nobis imputas? A te eſt illa; non à veteribus libris. Tanti eſt à poſteris noſtris Salmaſium de Pallio, non Tertullianum legi. Abſtine hinc, ſi ſapis, nefarias manus. Tibi dico; non melius tangere fuerit. Cur non perfricas frontem; & informa legendum pugnas? vt ſit *informus* pro *informis*? Adeo ſubactus es in Grammaticis næniis; vt non defutura ſit tibi copiola ſimilium nominum. Nã & *formus* pro *calido*, & à *formo formoſus*; vt à dumo dumoſus. Sic informis & informus, vt imbecillis & imbecillus, & alia λεπτολογήματα, & σκινδαλμάτα tua παρεξόνια, & παρακεκινδυνευμένα.

Tertullianus

Tertullianus explicatus, in eoque Salmaſij barbaries & vana correctio.

Nomen vitij mari induere, non eſt, vt opinaris, χάρυβδιν ἀπὸ τοῦ χάσκειν ῥοῖβδην appellari. Sed nomen pro fama ſumitur. Famoſum, inquit, vitio illo factum eſt mare. Non mutarim tuo illo, nouum vitii, pro nouo vitio. Iſtud vero quomodo feremus? *mortuum iuit*, pro *mortem bibit*. Non placebat tibi iſta lectio? Eſto nihil enim tibi niſi affectatum ac nouum placet. ſtatímne verum fuit in Grammaticam impingere? Vbi vnquam legiſti, mortuum ire, pro mori; ſicut redditum ire, pro reddere: ſuggeſtum ire, pro ſuggerere? Ergo licebit *mortuum*, *mortuu*; vt redditum redditu, ſuggeſtum, ſuggeſtu. hæc monſtra ſunt Grammaticæ tuæ? Parum erat, niſi & hac porrigine Tertulliani contextum inficeres. Quid fiet ſi diutius vixeris, & in authores commentation bus tuis graſſari cœperis? Eodem filo pertexam & aliud παραγράγωσμα tuum; Iuras ſcripſiſſe Tertullianum. *Bellus quoque plurimum licuiſſe, & perget triſtitia.* Quę

P. 103. P. 115. P. 108.

ſunt impedita, & abſona. Quid attinet ſalebras quærere, cùm in plano ſis; niſi quod argutari & vaticinari iuuat? Bellè enim receptæ lectioni cum Tertulliano, & ratione congruit. Eiuſdem piſtrini eſt, regnare primus, pro regnauit. Etſi facile eſt reſcribere *regnarit*. Sic *& cœlum*
P. 111. *icit*, fruſtra es cùm reponis. Tegere cœlum dicitur, non fulmine, aut fulgure, ſed ruinis ac cineribus. Itaque nihil aptius. Mercero tamen *taxit*, placebat, quod tuo præferendum.

Verſuram facere & ſoluere proba lectio.
Feſtus defenditur.
Salmaſÿ confidentia. ἀλαζονεία.

Tene Grammaticorum ὅ τι περ ὄφελος laceſſere, hoc eſt Deos tuos arietare? Ter-
P. 111. tulliani verba: *Denique ſi quid mare diluit, cœlum texit, terra ſubduxit, gladius detotondit, alias verſura compenſato redit*. Tu ſolita confidentia *compenſatum*, vel *compenſati* aſtruis. Fruſtra moueris, & τὰ ἀκίνητα κινεῖς. Compenſa ò aduerbium eſt; vt feſtinatò, vt alia ſexcenta. Si quid intererat mutari, adderes literulam vnam, & *reddit*, pro *redit* legeres. Haberes quod cu-

pis,vt locum intelligeres,etiam ad tuam mentem. Sed ea praua: Ideo conjecturam meam, quam tibi commodaui, reuoco,& irritam eſſe iubeo. Verſurâ cõpẽſatò redit quod alibi deperierat: hoc eſt compẽſatur, ac reſarcitur,veluti verſura facta; vt cùm aliunde mutuò ſumitur quod alteri perſoluatur. Ita colonię, propagationeſque gentium inſtar ſunt verſuræ,cum alterius loci populíque redundantia alterius inopia ac ſolitudo penſatur. Piger es caballus, qui in plano hæſitas. Imò etiam contumax, qui contra magiſtros calcitras. Verſura, inquis, heic non eſt vſura, vel fœnus, vt perperam vulgò interpretantur, ſed compenſatio ſummæ, cùm quod deeſt ſuppletur: Ais tu? Negat alius. An tuum eſt Latinitati leges ponere? Cedo vel authorem vnicum,ac fundum nouitatis tuæ. Verſuram ad vnum omnes hoc eſſe ſentiunt, quod dixi. Tu qui ne ipſe quidem ius habes ciuitatis, homo peregrinus ac barbarus, edicis pro poteſtate, & Romanum eſſe quod non eſt, iubes! quod vel inuito te eſt,& erit,pellis & eiicis: vnde hæc tyrannis? *Perperam*, addis, *apud Terentium legitur, verſuram ſoluere. Mal:* P. 113.

etiam Feſtus verſuram facere ex eo dictum eſſe exponit, pro mutuam pecuniam ſumere, &c. Fulminaſter & Salmoneus in præceptores ſuos detonat, & Periclis æmu-
Act. v. ſc. lus ἀστράπτει, βροντᾷ, ξυγκυκᾷ τὴν Λατινίδα. Te-
II. rentius Phormione · *Verſuram ſolues Geta.* Donatus. *Verſuram ſoluis: Creditorem mutas. Verſuram facere dicitur qui æs alienum ex ære alien: ſoluit. Dicitur autem verſuram facere, cum minore fænore acceptam quis pecuniam maiore occupat.* Ita Eugraphius, *verſuram ſoluens creditorem mutans.* Phaërnus diligentiſſimus caſtigator Terentij: *Aliqui maluerunt,* inquit, *verſura ſoluis, quod neſcio qua ratione fecerunt: cum omnes libri ſcripti, & Donatus habeant verſuram ſoluere.* Salmaſius contra torrentem brachia dirigens, vappas omnes iſtos putat, & Terétium Latinè loqui docet. Ferenda non eſt in veterano Grammatico tam inſignis ἀλαζονεία: in tyrone etiam virgis obiurganda.

Salmaſij παρεπανόρθωμα, *ruſtare, & ruſcare barbaræ voces.*

P. 115. Vetus editio Rhenani: *Itaque colates omnia, ſi domum intelligis alibi ſtipantem co-*

piam, alibi deſerentem, runcare atque ruſpare conſuluit. Reſcripſere alij; interque hos Pamelius ex Vaticanis, vt opinor. *Itaque cogitans omnia ſibi domum, intelligens ali[illegible]i*, &c. Tu pro vetere pugnas. Laudo animum. ſed cur editionem primam aliter ac ſe habet concipis? Illîc *colares*, non *colere* eſt. Nã caprinum prælium à te ſum perdoctus. Deinde cur demûm pro *domum*, pro *ruſpare*, *ruſtare*? cur ſomnia tua in Florentis librum refundis? Lues hanc confidentiam. Ne te morer; Quam affingis Tertulliano ſententiam, eam abdico, abiuro, abnuo. Spuria eſt, ἀνακόλουθος eſt. Dicam amplius, barbara eſt. Ocelle Grammaticorum: obſecro te, quid iſtud verbi eſt, ruſtare vel ruſcare? vidiſtíne vnquam? legiſti vnquã? aut à patre tuo, qui te vnus docuit, accepiſti vnquam; neceſſariò ruſtare eſſe ruſtum exſcindere; ruſcare ruſcum euellere, potius quàm contrarium? An lapidare erit lapides tollere; oſſare oſſa detrahere, ſpinare ſpinas euellere, herbare herbas euellere, radicare radices euellere, ſpicare ſpicas euellere, quorum partim barbara ſunt; partim latina quidem, ſed alia ſignificatione, & contraria. nam lapidare, eſt la-

pides iacere, elapidare lapidibus purgare. Sic tuum ruſtare poteſt eſſe ruſta ſerere. Si te imitari libeat, poſſum ex veſtigiis priſtinæ lectionis ariolari aliquid, & me vnum facere de magnis Criticis. Sed te & tua mirantur, quibus inuidit meliora frigidus circum præcordia ſan-
119. guis. Ego œſtrum illud Criticum furorem iudico. Vbi tu legis *exuberant Perſas*, Rhenani prima habet, in *aſchitæ*: Vaticani *maſchitæ*. Cur non conſulebas domeſticum tuum oraculum, veterem illum librum? Aliquod tibi monſtrum inde peperiſſes: Multum perdidiſti.

Cacti vox, & in ea Salmaſij lenitas.

P. 123. Cacti vocabulum in Tertulliano retinuit, & interpretatus eſt Pamelius: Agnouit & Mercerus. Fruſtra laureolam in muſtaceo requiris: & interpretes ἀσεμίστως vellicas.

CAPVT III.

Tertullianus illuſtratur. Cataclitæ veſtes: paui conchyliatum collum,

deque ea re Salmaſij prodigioſus ſtupor.

Mihi videor animaduertiſſe genium ſcriptionis tuæ. Multa in aduerſariis habes obſeruata de vocabulis, & eorum originibus, ſignificationibu, analogiis, cæteriſque minutiis. Inde vt quemque ſcriptorem ad interpretandum tibi ſumpſiſti: δυσυχέων δέ τε πᾶσις τῷ σῷ μένει αὐτιόωσι: promis ad omnem occaſionem, & myrothecium communium locorum effundis: neque curas, quàm intelligenter, aut conſentaneè ſcribas, aut ad authoris tui mentem. Aliorum ſecurus omnium, id vnum ſpectas, vt magnam copiam afferas, non rerum exquiſitarum, quarum es ieiunus, ſed verborum, & Grammaticarum ac febriculoſarum obſeruationum. Inde hoc habes, vt tecum non rarò confligas ipſe, & quæ pronunciaueras, ea paucis poſt verſibus retractes, ac contraria doceas. Etſi tædet me iamdudum iſtius operæ, quæ longiùs, quàm ſperaueram protelatur, non grauabor id tibi ob oculos ponere. Tertullianus de pauo. *Quanquam & pauo pluma veſtis, & quidem de cataclitis. Imo omni conchylio depreßior,* p. 125.

quâ colla florent. Ad ea verba cùm multa garrias, nihil boni dicis, niſi alienum. De tuo quod acceſſit; melius erat, ſi omninò tacuiſſes. Da te mihi pauliſper: faxo vt me verum loqui, vel tu ipſe non neges. Quidam in illo loco *cataclitis* legunt; alij *cataclistis*. Vtrumque tu interpretaris: & de vtroque nihil dicis, quod non alij ante te ſcripſerint. cataclita ecce accubita Turnebus exponit, & ex eo Pamelius, quod tu ſequeris; ſed more tuo odio & loquacitate nos enecas. Et quoniam ſemper ictum meditatur ſcorpius, inuadis in eos, qui cataclitas veſtes accubitorias interpretantur: quam interpretationem magnam fateri dicis Græci ſermonis imperitiam. Homo es, vt video, ruſticus & inurbanus. Moreris, niſi obtrectes ac maledicas. Tantíne eſt vnius voculæ lapſus, vt qui ad eam impegerit, ſtatim ſit imperitus? Hoc ſi ita eſt, tùm tu profecto alpha eris imperitorum. Ne erres mi homo, falſum eſt quod loqueris. Nam ſi ἀνάκλιτοι δίφροι ab Heſychio dicuntur, cur non & ſellæ, vel lecti cataclliti? ſi lecti, quidni & ſtragulæ veſtes κατάκλιτοι, quod in eis recumbant? Reliqua omnis interpretatio tua

non ſolùm hebes,ac puerilis eſt;ſed collidit ſeipſam, ac iugulat. Difficile eſt ferè quid velis aſſequi. Ita verboſus es, & inconditus: ſed hic tamen eſt ſenſus, quem illi loco tribuis. Veſtem de cataclitis ais eſſe tricliniarem, & accubitalem veſtem,auro & purpura pictam,quibus pauo æquè ornatus ac pictus eſt, vt veſtes quibus accubita, vel cataclita ſternuntur. Purpura in collo eſt, & quidem mera ac preſſa, hoc eſt ſatura, inſtar dibaphæ,cui dilutus color opponitur; qualis eſt conchylij: Aurum in tergo: ideo pauo veſtis eſt de cataclitis. Hinc meritò ſubdit Tertullianus: *Imo omni conchylio preſſior.* Cùm enim purpura preſſior ſit conchylio, & collum paui mero lumine purpuræ ſplendeat, vtique conchylio preſſius eſt. Hæc ſumma loquacitatis tuę. Verum ſi veſtis de cataclitis ideo eſt in collo pauonis, quia perinde vt triclinaris veſtis mera & ſatura purpura collucet, non vides abſurditatem in eo, quod ſequitur: *Imo omni conchylio preſſior?* Quid mirum preſſiorem eſſe conchylio quæ mera purpura fulgeat? Simillimè ac ſi dicam: Veneris cygnos niuis inſtar candidos eſſe: Imo

P. 127.

P. 136.

creta vel gypſo candidiores. Item: pulchriorem Helenam Venere, imo Hecuba fuiſſe. Non dubito quin ſtatim atque iſta legeris, magno hanc hallucinationem redemptam, & è libris tuis eraſam velis. Repetam rurſus. Purpura à conchylio differt, quòd illa preſſa ſit, hoc eſt nigrior, meracior, ac ſaturatior: conchylium pallidius, ac dilutius. Tertullianus ſecundum te colla Pauonum preſſa in morem purpurę eſſe dicit. Mox velut corrigens: imo, inquit, conchylio preſſiora ſunt. Conſule codicem tuum. Vide vtrum vel literam addiderim. Profecto nihil vlli mortalium, ex quo natæ litteræ ſunt, ſtupidius vnquam excidit. Quid faceres ſi eiuſmodi aliquid in Marſilio deprehendiſſes? Omnia omnium errata præ iſto tuo, κατορθώματα ſunt. Correctio figura eſt, quæ cùm ad amplificandum adhibetur, rem aut auget, aut extenuat. Hîc ad augendum aſſumitur. Dixit enim paui plumam veſtem eſſe de cataclitis. Igitur quod conſequens eſt, vehementiorem facere rem debet. Proinde veſtis de cataclitis, non eſt purpura mera, & ſatura; ſed conchyliata, vel potius ἀϑείστως, ſtragula & tricliniaris. *Con-*

chyliata Pomp. ÿ periſtromata, in quibus apud Antonium accumbebãt, in Cicerone legiſti. Conchyliatus color apparet in collo paui; dilutior, quàm in purpura violacea, hoc eſt auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari. Ita Plinius lib. IX. C. XXXVII. Placebat laudatus ille pallor ſaturitate fraudata, ait idem. Ideo Tertullianus Paui collum conchylio omni depreſſius eſſe dicit; id eſt dilutius & minus ſaturum, cum idem color ſit. Phædrus Fab. LVII. de Pauone, *Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo.* An ſmaragdi colorem interpretaberis dibaphæ purpuræ ſimilem, & ſaturum ac merum? ὦ πέπον: imo peponis iudicium: nunquam pauum vidiſti. Igitur contrarius eſt planè Tertulliani ſenſus interpretationi tuæ. Quos tu verò oculos, cùm in prima editione extare fingis *preſſior*, non depreſſior? An tu etiam ſenſum aut pudorem, cum iudicio perdidiſti? In Rhenani prima editione leges *depreſſior*; in ea, inquam, quæ annò 1521 Baſileæ eſt edita. Intererat exiſtimationis tuæ in explicãdis autoris tui verbis diligentiorem eſſe, quàm in Grammaticorum tricis aggerendis, in quo vſque ad nauſeam moleſtus es.

Heliotropij flos non cæruleus. Salmaſij cæcitas, & hallucinatio.

Mira eſt cæcitas, & ἀκρισία tua, qui Heliotropij florem cæruleum eſſe dicis, & eum colorem vulgo *blutum* vocari, quaſi ablutum & dilutum. Ne deeſſet vbi originationem illam inculcares, maluiſti cæcus & ineptus, quàm non acutus videri. Tu Heliotropii florem cæruleum facis? Vapulaſti iamdudum à Grãmaticis: periculum tibi eſt ab herbariis. Lege Dioſcor. lib. IV. cap. CLXXXV. Docebit te duplex Heliotropion eſſe: alterum maius; cuius ἄνθος λευκόν, ὑπόπυῤῥον. Marcellus vertit; *candidum purpuraſcentem*. Matthiolus *candidum ſubfuluum*. Ruellius *candidum, aut fulueſcentem*. Alterum minus eſt: cuius florem non deſcribit Dioſcorides. Ruellius ſimilem eſſe per omnia prioris putat. Dodonæus luteum. Scio te à Plinio in errorem inductum; qui libro XXII. Cap. XXI. cęruleum Heliotropio florem aſſignat: ſed hallucinationem eius cauere debueras. Obſeruant eam eruditi medici; qui de cichorio accipienda cenſent, quæ

Plinius malè ad Heliotropion tranſtulit. In alio diſſimulandus hic error fuerat: in te, qui leuiſſimis aliorum næuis Cyclopicè, & immaniter inſultas, ſeueriùs notandus. Illud Tertulliani; *quâ colla florent*, pergis ad purpuram largo lumine ſaturatam referre; hoc eſt nugari non deſinis. Poſtquam ſuperiora legeris, tuam ipſe imperitiam miraberis.

Salmaſij deprauatio, & nouitatis morbus.

Non laudo facinus tuum, qui coniecturarum tuarum luto Tertulliani Pallium tam ſæpè reſpergis. *cum ſquamis, & anni recurſantur*; ait ille de ſerpente. Ita Rhenani vetus editio. nec aliter legendum. Poſito ſenio cum nouis ſquamis nouos annos recurſat. Gelenius, recuſantur maluit. Non tu ergo primus author es lectionis huius. Neque ab omnibus, vt dicis, recuſata fuit. ſed melior altera; quæ cur à te recuſata ſit, cauſam tum ſciemus, cùm dixeris. Rurſus iraſci me tibi, Iuuenis! oportet; ac frontem tuam contundere. Hoc etiam reſtabat, vt in editione tua ex fide veterum caſtigata, P. 147.

pro eo, quod Tertullianus ſcripſit, *Capit & talis beſtiola verſiculum*, mutares, & poneres *alis* beſtiola, id eſt alia. Vt te ἀρχαϊσμὸν iſtum non ignorare ſciremus, λωποδυτεῖν, & in pallium graſſari oportuit. Dic, obſecro te, quis tibi ſcriptus, aut excuſus codex ad eam ſcriptionem præiuit? Libris in omnibus conſtanter fateris extare *talis*. Cur *alis* auſus es? Atqui vel puero facilis eſt ſenſus. Talis, inquit, hoc eſt eiuſmodi, & ſimiliter mutans beſtiola verſiculum capit.

Tertullianus à ſiniſtra correctione Salmaſij vindicatur.

Sanè moroſus es, & nimis ſæpè reſtitas. Omnia tibi ſuſpecta ſunt. Quid meruit communis librorum omnium lectio, vt tu eam peſſumdares? Niſi quod in prima editione Rhenani, *quo*, ſcriptum eſt, reliqua vt in noſtris. ſcribe igitur, vti
P.149. vulgò habetur; *Quippe nec ſuccus eſt corpori, qui minutioribus multo licet. Chamæleon pellicula viuit.* Rhenanus neque, *&*, ante, *quo*, neque *ſi*, poſt Chamæleon agnoſcit. Veterem illum tuum, cum interpretatione tua, εἰς μακαρίαν faceſſere iubeo.

Nunquam hoc voluit Tertullianus, quod voluiſſe fingis. Nam duplex parentheſis eſt diuerſa, neque vllo vinculo nexa. *Et,(quod minutioribus multo licet) ſi pelicula viuit.* Viuit, inquis, Chamæleõ; ſi tamen pellicula viuere dicenda eſt. Hoc eſt non viuit: quia pellicula non viuit. Et tamen iſtud ipſum viuere, multo minutioribus licet. Non potes inficiari, quin affectata, & putida ſit, & ἀχχαμυάπσος iſta ſententia. Duæ parentheſes ſine copula hiulcam, & inconditam orationem faciunt. Non ſcribam, vt iubes, *tamen & Chamæleon mutare totus, nec alius, valet.* P. 153.
Nam *aliud* Rhenani Codex habuit. Ne P. 155.
in Arnobio quidem tibi aſſentior. Vbi pro *Antiſtitibus ſacerdotum* legis, *inteſtibus.* Hoc tibi non credo ſine teſtibus. In voce Antiſtitum ludibrium debes. Antiſtites ſacerdotum ſunt honoratiſſimi, & primarij: quales Archigalli fuerunt. Epiſcopi nonne Antiſtites ſunt ſacerdotum?

Salmaſij rubigo. ſtupor in voce deglubandi.

Ecce iterum Criſpinus: & eſt mihi ſæpe vo- P.161.

candus. Redit κακοήθεια illa & libido mordendi. Deglubaſſe Pamelius, Latinius, Mercerus non improbant. Cur Criticos omnes allatras? Hoc pluſquam Cynicum eſt. Prima editio; *dilabaſſe veculandumque*. Quid propius eſt, delibaſſe, an deglubare? Certè delibaſſe. Imo meliùs, quàm deglubaſſe. Et nimium imperitus es, qui deglubare putas eſſe floccum vellere. Eſt enim ἐκδέρειν, corio nudare. Quis animus tibi, cum Gloſſariũ citares? *Deglubat*, ἐκδέρει. Nempe vt perſuaderes ouiculam à Mercurio deglubptam? Hoc falſum eſt. Quod autem putaſti, imò quod imprudens vſurpaſti, plenum eſt ſtuporis; deglubare eſſe floccum lanæ vellere. Immitis ac crudelis es. *Boni Paſtoris eſt tondere oues, non deglubere.*

Salmaſij importuna Critica.

P. 163. Non alio conſilio commentari videris, quàm vt nouas in Latinitatem voces infercias. *Tenus*, inquis, *eſt faſcia*. Authorem cedo. Marcellus *tenum* interpretatur *laqueum*. An iccirco faciam ſignificat? Dic ſodes, pro faſcia laqueum, aut tendiculam.

lum. Quis non rideat? In Tertulliano nil vltra ſolitum leuis es, & audax. Si te obſoleta Rhenani lectio iuuat; cape integram; & lege, *& in tetis priſtimi modum, quam philyræ tenus iunxerat, exiſſe ſuos omnem lanitij diſpenſationem.* Cur ex ea, quod viſum eſt, excipis, & quæ vis tibi ſomnia fingis? Liceat & mihi Critico eſſe. Neque enim minus quàm tu iuris habere debeo. Contraham & ipſe ſupercilium, & ſciſcam: Tetum illud vocem eſſe hactenus ignotam. Vel vt ſolenni vtar interdictorũ tuorum formula; Sciẽdum tetum Latinè dici funem, à tẽdo, à quo tentum & tetum; quemadmodum tago, & tango, pango & pago. Ideo apud Tertullianum leg. *& in teti priſtimi modum,* vbi & *priſtimus*, pro *priſtinus*. Nã à prius fit priſtimus: vt ab intus intimus; à cis, citimus; à medius medioximus. Ad hæc *exiſſe ſuos*, ἀρχαϊκὸν pro transfudiſſe in ſuos. Sic exuberare P . . ſas pro . Perſas. Hebræi הוציא exire facere; communicare. Non continebo me, quin licentius efferar, & Criticam meam in omnes ſermonis corruptelas impingam. Nihil tam prauum, tam ſordidum, ac deſperatum, quod non pro recto ac ſincero ha-

beam. Fingam enim voces, & vocum origines, ac poteſtates, quas velim. Tu ne mutire quidem audebis. Aude enim reprehendere quod in ſuperiore Tertulliani loco mea mihi Critica ſuggerit. Sciendum eſt, ſcripſiſſe Tertullianum; *dilanaſſe veculam*, pro, *dilabaſſe*. Dilanare, pro delanare, lanam vellere: vt diripere pro deripere, dimouere pro demouere. Vecula porro pro ouicula; vſtricula pro hiſtricula, ſtoria, pro hiſtoria. Si tibi dilanandi verbum in mentem veniſſet, quis tuam inſolentiam ferret? Plures tibi paginæ impleri poterant. Beaſti nos hac arte, & hoc lepidiſſimo inuento tuo: nihil enim deinceps vitioſum in antiquis monimentis, aut lacunoſum, aut obſcurũ denique ſupererit. Adſit os modo, & nonnulla fingendi ſolertia. Mille mihi vna hora vocabula naſcentur. Poſtremò cedo nullum locum, quem ego tibi momento non reſtituam, atque explicem. Dolendum bonis artibus, quod tàm ſerò in lucem exciteris. Si ante centum annos vixiſſes, cùm locupletiorem haberemus infinitis vocabulis Græcam Latinamque linguam, tum omnes omnium authorum lacunas expleuiſſes.

Qui inter veteramentarios ſutores corporari volunt; ſpecimen artis ſuæ in detritiſſimis calceis præbent: quos ad nouorum ſpeciem interpolant. tu in noſtris litteris veteramentariam hanc ſutrinam facis. Macte eſto, Salmaſi! Vt te demum abſoluam; Non concedam tibi in Tertulliano *tenus* illud, neque *reſtis*, pro *tetis*. Ita enim, non *retis*, quod affingis Rhenanus edidit. Scribo igitur *& in retis priſtinæ modum, quam philyræ tenues iunxerant*, vel, *Philyra tenuis iunxerat.* Non P. 165.
ignoras retis in fœminino genere pro rete ſumi. Apud Apuleium denique tæniis retinendum, non tenis.

Sordes correctionum Salmaſianarum excuſſæ: multiplex inſcitia, barbaries, & errata fœdiſſima.

Fæces aliquot commentationum tuarum & παρευρημάτων coniiciam in hoc caput. Ais ſcribendum. *Quo muſcoſæ lanoſi-* P. 175.
tatis plautiores conchæ comant. Ariolaris. Rhenanus edidit *qua.* Tertullianeum eſt, *comare vellus.* κομᾶν τὸ ἔριον, vt κομᾶν τὰ φύλλα de arboribus. Authorem quæris?

Da p ius emendationum omnium tuárum, nouarumque vocum, quarum es bellus artifex. Præterea *lautiores* aſſero non *plautiores*. Si quia in veteri editione plautiores legis, ideo præfers; ſcribe & *lenoſitatis*, non *lanoſitatis*, ex eiuſdem fide. Quidni dices lena pro lana? Tibi enim omnia licent. Gradum exinde promoues, & ad calidiora facinora accingis temeritatem tuam. Repoſitum à te dicis
P.177. *aërem* pro *erem* in illis Tertulliani; *Quæ per aërem aliquando araneorum more ſcopis idonius ſe diſtendit.* In Rhenana, priuſquam exiſſes in lucem, *aërem* extabat. Altera coniectura veruece digna, *per erema liquando.* Palpas te deinde, ac places tibi, & felicem coniecturam appellas: *araneorum horoſcopis idonius ſedes tendit.* Et horoſcopa telas aranearum interpreta ris. Hoc erat quod dixi. Nimis ingenioſus es. Sed in aliis experire commentorum tuorum vim. Araneorum horoſcopa nulla eſſe ſcio. Neque araneorum telæ cum horoſcopis ſatis conſentiunt. Legendum; *quæ per aërem aliquando araneorum more ſcopis idonius diſtendit.* Diſtendit, inquit, bombyx textum ſuum per aërem, ſine vllis fulcris aut ſcopis, &

multo, quàm ſi iis vteretur, idonius. Sequitur: *perinde ſi necaueris animata iam ſtamine aluo.* Rhenanus: *animata iam ſtamine volues.* Comploratus locus, quem aduocemus, niſi te diuinum medicum, & herbarium etiam ſupra Dioſcoridis captum, qui in Heliotropio cæruleum florem ſomnias? Egone? Nematam, pro animatam repono. A nemate quod eſt νῆμα, fit nematus; & nemare: vt à ſagmate fit ſagmare,: vnde ſaumarius & ſaumaſius; id eſt ſagmarius; ſiue clitellarius. Sic *paternum cognomen vertes in riſum, & fabula fies.* Sed corrigis te, & aliud νεανίευμα, nouum, inquam, oraculum promis grammaticis ex adytis. Animata ſtamina ſunt colorata. nam animare eſt colorare. Id locis aliquot ſcriptorum probas; qui non obſeruationis huius, ſed inſcitiæ tuæ teſtes ſunt. Animata exta vocat ARNOBIUS L. II, non colorata, vt nugaris, ſed cocta, calefacta, & calore velut ad vitam & animam excitata. Vitæ animæque fomes eſt calor. Itaque animandi vis & nomen potius ei, quàm colori tribuitur. Quidquid vegetum eſt, & vibrans, ac ſenſum ferit; id animatum dicitur in vario rerum genere Animare,

P. 204.

proinde non eſt ſimpliciter colorare, ſed viuos colores inducere. Multum te fallunt argutiæ tuæ. Vel illud conſidera, quod tibi valde ἰδιωτικὸν, & ſtupidum excidit. ξανθίζειν πυρὶ eſt torrere & coquere carnes. Nam δελφάκεια πλευρὰ ἐξανθισμένα dicũtur, quoniam porcelli coſtæ ξανθίζονται, flaueſcunt, cùm aſſantur. Inde tibi videtur ξανθίζεσθαι idem eſſe atque igne torreri. Quid hoc Grammatico faciemus, cui ne ſenſus quidem communis eſt? Ergo omnia, quæ coquuntur, aut torrẽtur, ξανθίζονται: vt exempli cauſa pix, carbo, calx, caſtaneæ, & carnium leporinæ, aliæque, quæ aſſatæ nigrantur. An non vel pueri te ridebunt, cùm hæc legent? Non vides nefrendis ac porcelli τὴν φορινὴν, id eſt pellem, dum aſſatur, & κραμβαλέα eſt, ac torrida, flaueſcere, vel ſi mauis ruffeſcere? quod de eo omni, quod torretur, vſurpari non poteſt. ſic madida exta in eodem illo Arnobij loco ſunt percocta: & madefacere carnes, eſt coquere. Vtrum cenſes, quicquid igne coquitur, madidum poſſe dici, velut aurum ac teſtam? Vt igitur eorum, quæ coquũtur, alia madeſcunt; alia contra ſiccantur: ita carnium rerumque cæterarum

P. 205.

quædam ξανθίζονται, vt porcelli; aliæ nigrantur: ſuus aliis ac proprius color eſt. Non minus ſuauis es, cùm animari fruges ideo dictum aſſeris, quia cum maturæ ſunt colorantur: vt in illo verſu:

Sol animat fruges.

Ohe iam ſatis ineptiarum. Diſtædet me. Animæ inſtar eſt, vt iam dixi, vitalis ille calor, ac vigor, qui per orbem ex Sole diffunditur. Color autem ex eo genere qualitatum eſt, quæ minimè actuoſæ ſunt, & efficaces. Quanquam in eo viuum & animatũ dicitur, quod illuſtrius & acrius eſt. ſed nihil ad calorem vigoremque, quo fruges animari dicuntur à Sole. Sentis, opinor, quãtum ex hac obſeruatiuncula ludibrium debeas. Si quid amicorum tibi eſt, clanculum & in ſinu ridebunt: & te adeo bruto ingenio fuiſſe vix credent.

Salmaſij inconſtantia, temeritas. Serica veſtis etiam viris attributa.

De bombyce maior eſt quàm pro captu tuo quæſtio: nec temerè pulſandi veteres, qui ſericum ex arboribus depecti, nullis vermibus texentibus, rati ſunt. P. 203.

quod Cardanus fabuloſum credidit. Sed Card.num arguit Iulius Cæſar Scaliger. Exer. CLVIII. qui eiuſmodi lanuginem aſſeuerat in arboribus reperiri in Tartaria Sinarum regione, Sumatra, & alibi. Tu perplexè multa, neque cohærenter more tuo iactas, quaſi per ſaturã. Doces ſericam veſtem ſolis mulieribus relictam. Hoc nimis vniuersè dictum eſt, & ſane falſum. Vnus è multis Chryſoſtomus occurrit. Is Homilia XXIV. in primam ad Corinthios, Imperatoriam veſtem ſericam fuiſſe teſtis eſt. Nihil enim aliud eſſe, ἢ σκωλήκων νήματα. Et Homilia XVIII. in Geneſin. ἀκουέτωσαν οἱ πλούσιοι, οἱ ἐντρυφῶντες τοῖς τῶν σκωλήκων νήμασι, καὶ τὰ σηρικὰ περιβαλλόμενοι. In eadem pagina ſerica veſte denudari ſolitas eſſe fœminas adnotas, cùm viri bõbycinam Coam vſurparẽt. Nec recordatus es idem à te Cois veſtibus tributum. Nam & mulierum denu-
p. 183. daſſe corpora antea ex Horatio, & Propertio dixeras.

Salmaſius calumniator; eiuſdem μικρολογία.

Etiamne calumniator es? Tu omnium

interpretum mentem eſſe fingis, Palliũ à Tertulliano Græcum ideò dici; quia ſit ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι. Verba tua ſunt. *Hæc tamen mens eſt omnium Tertulliani interpretum ad hunc locum.* Si hoc mendacium non eſt, & quidem inofficioſum; imo virulẽtum, ac maledicum, cauſam obtinuiſti. Pamelius de ea re verbum nullum. Mercerus veram ſententiam quatuor voculis attigit. *Etſi Græcum magis*, inquit, *apud Græcos magis frequentatum.* Tu non minus ἀμετροεπὴς, quàm ἀ‿ εὐστοχὴς, tetigiſti nos rurſum frigore tuo grammatico. *A pario fit pallium, vt hira hilla, ſtira ſtilla, ſtiricidium. ſtillicidũ; rarus, rallus: rurus rullus, purus pullus, ſtera, ſtella*; &c. id genus. Hęc niſi erudita, recondita, arceſſita, placitura denique crederes, nunquam promeres. Atqui ſcito eſſe neminem, qui ob eã maximè non te plebeios inter ſcriptores huius ætatis cenſeat. Audiui ipſe multorum de re iudicia. Nemo fuit, qui non pueriles iſtas, & futiles obſeruatiunculas rideret, ac contemneret. Sed hic captus tuus eſt; ſupra quem efferre te non potes. Itaque veniam damus. Quod verò etymologicum nobis polliceris; auertat hoc bonus Criticæ ac Gram-

P. 207.

P. 209.

maticæ genius. Actum de iis eſt, ſi hæc illas ſcabies ac purulẽtia peruaſerit. Eâdem paginâ, Gręcos præter vrbem cenſeri, non ita, vt reris, à Tertulliano dictum eſt, ſi vera eſt iſta lectio. Scribis enim cenſeri in vrbe, qui in vrbe moratur: vt contrà, cenſeri extra vrbem, qui extra manet. Ibi ego ſubaudierim, niſi exprimi placet, pellendi verbum. Cenſebat ille præter vrbem, id eſt extra pellendos Græculos. Multum is Græcis Latiniſque Muſis conſulat, qui tuam ab illis petulantiam, atque inſcitiam depellat.

AD CAPVT IV.

Salmaſij audacia in caſtigando.

P.215. Nonne dixeram? Nihil facilius, quàm emergere ex omnibus Criticæ ſalebris more tuo modoque. Vbi dignus vindice nodus eſt; tu ad libitum mutas, & inuertis omnia. Rhenani lectio. *Quid nunc ſi & Romanitas omniſalus: nec honeſtis tamen admodis gratis eſtis.* Ais in libro tuo ſcriptum legi: *omnis alus: nec honeſtis tamen modis ad gratos eſtis.* Inde tu conii-

cis; *omni ſalus:nec hon. tam. mod. ad graios eſtis.* Coniectare quod lubet. Eſt enim cuique liberum. Tamen vide ne commenta tua in contextum infarcias. Non audies: & in editione noua ex veteribus emendata id legemus, id habebimus, quod genio tuo collibuerit. Dij prohibeſſint. In hoc vero, de quo agitur, quã multa tua ſunt; hoc eſt leuia & putida! *Romanitas eſt omni ſalus*; quis ſic loquitur? Non Tertullianus: ſed Salmaſius. Item, *ad Graios eſſe*, & confictum & friuolum eſt. Si aliter reformare Tertulliani verba nequeam, hærere in labecula mauelim, quàm tuum illud ἀπὸ μηχανῆς adhibere. Nam ferè σύνηθες eſt. Tamen ita licet, *Quid nunc, ſi eſt Romanitas omnis alia.* (Malles, vt antiquarius es, forſitan, *alis*) *nec honeſtis tamen modis Græci eſtis?* Si vos, inquit, in cæteris omnibus Romanitatem amplexi, in quibuſdam parum honeſtis moribus ac ſtudiis Græcos imitamini. Hæc plana, ſincera, Tertullianea, procul à fuco tuo, & laciniofis ambagibus. *Malè ſeneſcentis palæſtræ ſtudia;* expoſuiſti perridiculè. Itaq; puduit te, & ſtatim reuocaſti. Quid attinebat nugari, vt è veſtigio te corrigeres? Malè ſeneſcen-

P.221.

tia, quæ iuueneſcere incipiunt, appellari, non modo Latinitas nulla; ſed ne cõmunis quidem ſenſus patitur.

Salmaſij oſcitantia, Hallucinatio, ὑωδία.

Credo te magis vt riſum excitares, quã ex animi tui ſententia, multa in his commentariis ſpargere. Hoc ſi facis, malitioſus homo es; ſin bona fide agis, ac ſeriò: quid te ſtupidius? Non augebo meis
p. 221. verbis inuidiam. Recognoſce quæ ſcripſeris. Tertullianus: *Vnde apud aliquos Numidas etiam equis caſtratos iuxta cutem tonſor?* Ad ea ſic tu. *Qui ſunt iſti aliqui Numidæ? Certè cum Carthaginienſibus nunc rem habet, eoſque ſolos toto hoc opere alloquitur. Oportet igitur illos hîc vocari Numidas.* Ain' vero? Numidæ ſunt Carthaginiẽſes? Nempe quia in hoc opere Carthaginienſes alloquitur: ideo quoſcumque nominat Carthaginienſes ſunt. Num apud te es, cùm iſta blattis? Ergo Carthaginienſes Romani ſunt, Græci, Pelaſgi, Lydi, Meropes, Perſæ, Palæſtini, Campani, Tuſci: quia meminit horum omnium, & ſolos nihilominus Cartha-

ginienſes alloquitur? Itaque *apud aliquo Numidas*, ponis in noua tua editione ex veteribus recognita, quod eſt aliquatenus Numidas. Si puppas id ætatis ornares, aut lallare inciperes, nemo te ſanum crederet. Cùm hæc prudens dicas, ſcribaſque; integer es animi? Tantum, vt vides, facinus, ludibundus ac iocans diſſimulaui. Erit, ni caues, qui lenitatem meam accuſet; & in te diſtringi virgas iubeat; quæ pueris infeſtæ ſunt ab ea parte, quam tu importunè obiicis. Quid enim cogitas, turpiſſime rerum? cum in editione tua ex veteribus recenſita, pro germanis Authoris iſtis, *tam rapax ab ala reſina*, ſcribis, *tam rapax à culo reſina*? Abi hinc cum tuo illo culo deſputabili, ſordidiſſime corrector. Dignus erat, quem plagoſis Magiſtellis ſæpius oſtenderes. Nunc, vt tibi non minus fortè neceſſe ſit, tamen non decet. P.229.

Salmaſij error, & ἀκειοῖα. explicatum quid ſit, πῖνος quod ille non intellexit.

Olim me fatigat Augiæ ſtabulum iſtud. Herculis robur ac lacertos requirit. Id

ex tædio noſtro boni conſequêris, vt multa prætercam: quæ occurrent, ea ſtrictim percurram ac leuiter. Non male interpretantur, qui *illius* ad *Aſiæ* referunt. Tu male reprehendis:nec tamen alterum improbo. At etiam errare doctos omnes aſſeris, qui πῖνον in oratione antiquitatis ſitum illum & ſquallorem, ac veluti χνῦν,& mucorem,ac lanuginem interpretantur. Ipſe autem à ſordibus palæſtræ magis deriuas, quaſi nitor ſit, & color quidam floridus, multa arte, & exercitio quæſitus. Abſurdiſſime. Profecto nuſcitioſus es, & in meridie palpas. Nonne vides πῖνον & χνῦν coniunctim ab Halicarnaſſenſi eſſe poſita? Quid eſt χνοῦς τῆς ἀρχαιότητος; Nitorne,ac polita quædam elegantia? Quid alienius? πῖνος & χνοῦς Archaiſmi Character eſt,& ad στάσιμον illud,& ἀσφαλὲς τῆς ῥητορείας genus attinet. Duplex eſt enim. Alterum ſolidum & ἀρχαῖον,minimè affectatum, & graue: cuius propria eſt σεμνότης, καὶ βάρος. Quod genus in ſententiis, & oratione, ac verborum delectu,& ſtructura cernitur. Alterum eſt politum,elegãs,molle,πανηγυρικὸν, ſæpe etiam νεανικὸν, & παρακεκινδυνευμένον. Quod tamen neceſſe non eſt. Ad hoc

P. 229.

P. 234.

poſteri' pertinet ſuccus ille palęſtric9, & nitor affectatus, ad leporem factus, & gratiā. At prioris generis eſt πῖνος, & χνοῦς, ἀρχαϊκὸς, cuius eſt, vti dixi, τὸ στάσιμον καὶ ἀσφαλές. Vt igitur apud Medicos habitus corporis Palęſtricus minimè naturalis eſt, ſed arte quęſitus, ab iiſdem Medicorum filiis, vt à Galeno, damnatus, cui vigor ille ſucci plenus & natiuus opponitur: ita orationis character ille, cui palæſtra, & munditia quędam ac lepos ἐπιπολάζει, multum diſtat ab ἀρχαίῳ & graui: quantum lenocinium & fucus à natura: πολιτικὸν γένος ἀπὸ τοῦ πανηγυρικοῦ diſſidet. Hæc dicendi magiſtri; Hermogenes, περὶ ἰδεῶν, & Dionyſius. Cuius verba cum ex indice quæſita tranſcriberes, non animaduertiſti, πῖνον, & χνοῦν ab eo coniungi. χνοῦς autem à politula tua elegantia, & nitore florido, ac palæſtrico tam diſcrepat, quàm quod maximè. Deinde πῖνος auſteritatem habet, quæ molli ac iucundo non cōuenit, quod Palæſtræ proprium, vt ex eodem ipſemet imprudens colligis. Hęc ſatis aduerſus faſtum & arrogantiam tuam. Niſi Grammaticę occupationes meliores tibi artes inuidiſſent, poteras de iſtis prudentiùs ac feliciùs

diſſerere. De cætero quantum glor am iſtam amas,tantum caue,ne ea,quæ eſ-cis doceas,aut cùm aliena tractabis,quæ in verba tibi aliorum ſcripta præiuerint, ab iis ne diſcedas temerè.

I,puer, atque tuo citus hæc ſubſcrib libello.

Salmaſij maledicentia, plagium, error.

Qui equum hinnire, ranam coaxare, porcellum grunnire, aſinum rudere prohibebit; is te,Salmaſi, maledicere, obtrectari,mentiri ac nugari prohibeat.
p. 235. In Tertulliano, *Græcatim magis depilari*, ſcripſit ante te Franciſcus Iunius, & Mercerus. At tu σοβαρῶς,& vaniſſimè: *locus*,ais; *hic depalauit, & propalauit Criticorum huius temporis* ἀκεισίαν *magis, quàm* εὐστοχίαν. Poſtea lectionem iſtam tibi vendicas,quam tanto ante docuerant alij. Nimis apertè mendax es; & ἀλαζονεύῃ. Scribis
p. 237. deinde baſilica edicta: *Vnde & nominis concilium*, legendum eſſe, non *conſilium*. Non tua eſt hęc coniectura; ſed Franciſci Iunij; quam temerè Tertulliano aſſuis. Nam eſt nugatoria & nullius veteris authoritate fulta. Reliqua de conciliandi ſignificatione ex Lucretio, &

Varrone

Varrone,ad verbum ex Iunio deſcripſiſti. Quare plagij te ſimul & iniuriarum arceſſo.

Puerilis ac iocularis oſcitantia Salmaſij.

Φεῦ! quid non audet arrogantia, & imperitia, ſi cuius animum peruaſerint! p. 242. Monſtrorúmne Chiron eruditor poſſe dici non videtur, id eſt Centaurorum? Quid ita? Quia Centauri eruditionis capaces non fuerunt. At, ô bone! num qui erudiũtur omnes, illi fiunt eruditi? Tuus te pater ecce quamdiu erudiit? An ideo eruditus es? quàm id ſis, hactenus cognoſcere potuiſti. Præterea ne illud quidem tenes, quod ex grammaticis tuis lucubrationibus attinebat ſcire, inter Centauros, politiores quoſdam fuiſſe? Sic apud Ouidium XII. Metam. Aſtylos, qui ſuis fruſtra bellum diſſuaſerat augur. Sed & alij æquiores ac ciuiliores. Puerilis eſt igitur coniectura tua: *Monſtrum eruditor.* Cuius tibi puero veniſſe dicis in mentem. Facile perſuades; non de iſta modò coniectura; ſed de tota ſcriptione tua.

Salmaſij nugæ, & σκινδάλματα.

Noui vos magnos Criticos. Vna ſæpe literula materia vobis eſt immanium voluminum. Si quid antiquarius olim dormitans, aut potius perperam ſcripſerit; ſi imprudens in libris vnam literam pro altera ſubſtituerit; Hinc totus pendet Lucilius. Campus iſte veſter Marathonius eſt. Hinc omnes, qui hactenus litteras attigere, quique anteà nati, hebetes, imperiti & ignari ſunt. quid enim? fugit illos vnus apex, quem ego in vetere libro reperi. Hanc interpunctionem primus appoſui. Noſti reliqua. Tua enim decora & inſignia perſequor. Quam ſæpe in his Commentariis! quàm alibi paſſim tibi maxima de nihilo naſcitur hiſtoria! Miſeret ingenij & ætatis me tuæ, quam in iis ſordibus conteris: qui librariorum incurias, & παρεσέγματα magnæ doctrinæ inſtar habes. Eius adeo hîc exem-
P.245. pla ſunt innumera. Vt cum *ſtoriam*, pro *hiſtoria* ſcribendum iudicas apud Seruium. In Tertulliano; *clanculus functus*, non, vt in libris eſt, *clanculò*. Sic offende-

re idem putas eſſe, ac offundere, quia P. 2;-
vbi offundendi vox locum habet, ibi
erat in ſcriptis offendere. Ita ſuffindere
idem tibi eſt ac ſuffundere. In hiſce api-
nis ac gerris habitas: hęc locorum tibi
communium paginas implent. Inde
in Commentarios tuos deriuas, ac le-
ctori tædij, moleſtiæ, arrogantiæ plenus
occurris. Equidem tuas omnes phale-
ras, ac pompam eruditionis iſtius, in qua
te iactas, leuiculi ingenij, ac puerilis eſſe
duco. Nec tu tamē, vt in re ludicra, ille-
pidus eſſes, niſi ex abiectiſſimis ſtudiis
ſummæ tibi ſcientiæ famam captare vel-
les. Redeo in viam, & ad Tertullianum,
quem ſæpè corrumpis. Non fero depra-
uationem tuam; vt ſpiculi pro, *ſpeculi*, P. 252.
in illis verbis legas: *Pumice ſpeculi ſui.* P. 254.
Multo minus dum *exeduratas* pro *exodo-* P. 255.
ratas legis: & in editione tua recipis.
Mendaciſſimū eſt & quod in Gloſſario,
ruplus deprauatum eſſe fingis pro *rutlus*.
Hæc quidem vis eſt. Sed heus tu! quis
te Grammaticæ dictatorem conſtituit?

Salmaſij ærugo, ἀσοχία Critica, Plagium.

Anguſti & abiecti eſt animi nolle fateri, per quos profeceris. quid eos ipſos hoſtiliter vexare ac traducere, ſi qua re peccent; ſi quid te iuuent, diſſimulare, ac mentionem nullam facere? Pleni ſunt hac ærugine commentarij tui. Nullum nominas niſi cum elogio ſtupiditatis, imperitiæ, ineptiæ; quorum tu pater es. Atqui mendicatò victitas, & ſi quid in te tolerabile eſt, id alienum eſt, & furtiuum. nam te illorum legiſſe ſcripta, fidem facis, dum eos arguis. Scribis apud Tertullianum,
P. 258. *hiatus crinibus infarſus.* Iunius ita pridem legerat. Criminaris interpretes, qui antias leoninos crines eſſe dixerunt: tu verò muliebres exponis. Habes id ex Mercero. Altera correctio, &
P. 261. interpunctio, *tota oris contumelia rugiret*, ſi *poſſet*, vel *mugiret*, eſt à Iunio. Item quod interpretes negas aſſecutos, quid
P. 265. eſſet inter cutem cæſus, & vltra, tu totum ex eodem Iunio tranſtuliſti.

Solocem adiectiuum eſſe idem te do- P. 273.
cuit. Planè abs te habeś illud: *veſtigia* P. 268.
cæſtuum birus occupauit, pro viria. Nam
eſt ineptiſſimum. Quæ vero tibi mens
cum virias militaribus viris excipie- P. 266.
bas, quaſi non eſſent & mulierum? At-
qui & mulierum eſſe docuit te Merce-
rus ex Ambroſio. Itaque biros tuos
tecum valere iubeo. Nam veſtigia cæ-
ſtuum in manibus ſunt, & carpis; in
quæ ſucceſſere pro cæſtibus armillæ:
fruſtra aliud quęris. Scribo in Tertul- P. 274.
liano cum vulgatis: *nec magnæ conſtan-
tiæ ſit*, hoc ſenſu: leuiſſima res ac fa-
cillima, & minimi negotij. Tuum il-
lud, *caninæ conſtantiæ*, quia tuum eſt,
non recipio: neque pannum iſtum pal-
lio Florentis aſſuo; quod impunè non
facies. Si te adeo aruſpicina iſta Critica
delectat: en habes generoſi facti ma-
teriam ex Rhenani ſcriptura: *pariter
propudioſiſſe, ne cane, & forte conſtantiæ
mandatum ſit*. Lege itaque, *propudioſis*,
Senecæ, & forti conſtantiæ mandatum ſit,
vel *Socratis*, pro *forti*. Deſignationem,
inquit, ac denotationem propudioſo-
rum Cæſarum relinquamus Senecę,
qui Claudium Apocolocynthoſi ſua

traduxit,& aliis Stoicis, vt Thraſeæ Pæto, aut Socrati, aut denique ſapientia & conſtantia præditis. Nunquid minus habet hæc coniectura quàm tua, quo plauſum à fautoribus eliciat? Iam ſumus ergo pares. Ἄστοχον eſt alterum, quod ſomnias. *Non erat ſatis animi tumens Macedo, ni illum etiam veſtis inflatior deiectaſſet*: Cum, *delectaſſet*, vbique ſcriptum ſit: & verò neceſſariò. Nam quod reponis, contrarium eſt & abſurdum.

Salmaſij ſupinus error: Plagium.

Quàm feſtiuus es, dum baxam dicis calceamentum eſſe deauratum! Ergóne Philoſophi omnes Cynici auratis calceis vſi ſunt? velut ille apud Apuleium, *qui pallio, baculo, & baxeis, & hircino barbitio philoſophum fingit*. In ſutrinis quoque nullæ niſi auratæ baxæ. Scribit enim idem Flor: I. *fateorque me ſellularias quidem artes minimè callere: veſtem de textrina emere: baxas iſtas de ſutrina præſtinare*. Sed & Plautinæ illæ

baxeæ in Menœchmis, quæ peniculo abſtergentur, auratæ tibi erunt. Lepidum caput. Atenim Tertullianus libro de Idololatria, *Soccus*, inquit, *& baxa, quotidie deaurantur.* Hæc vis eſt argumenti tui: hinc habes baxas auratum genus eſſe calcei. Mirificum acumen. Igitur & ſoccus auratus eſt, & calcei omnes auro ſuppacti; quoniam apud Plautum habet ille neſcio quis *auro ſuppactum ſolum.* Hæc indigna ſunt quæ refutentur. Valde περίεργος es in re nihili. Nimium, inquam, argutaris in latrinis; & inquirenda cauſſa, cur in Cloacinarum adyta Empedocles ſorores ſuas ſalutatum ire debuerit. Ve- P. 293.
riſſima ſunt, quæ de eo Mercerus, & Iunius produnt. Ratio, quam affers, frigida, & cum Voluſianis Annalibus in Cloacinæ releganda.

Cur tu autem Merceri ſcrinia compilas, neque appellas hominem; ſed cum cæteris in eandem reprehenſionem includis? An non latrinarum Antiſtitem de Cloacinæ Veneris antiſtite prior accepit? Idem & priuilegium galeri ad crines tranſtulit: quod P. 311. P. 317.
tu, qui interpretibus conuitiaris, vſur-

monendi tui gratia perſequor. Si vel complecti liberet omnia, vel ſingulis preſſius inſiſtere, decuplo craſſius, quàm tuum eſt, volumen exire potuit. ſed ad penſi reliquum nos accingimus. In quinto capite ſolemnia *παρεμπαίεις*, dum & *captatelam*; & *talias* P. 336.
in Tertulliani contextu locas, quæ ſunt officinæ tuæ Criticæ. Sed in poſteriore ſupra modum illepidè, & aduerſis omnibus Gratiis induſtriam tuam expertus es. Negas ſcripſiſſe Tertullianum, togam deduci in tilias: ſed potius, *talias*: quoniam tiliæ nihil niſi vincula ſunt, ex tenuiſſimis membranis: hîc autem latiores debent eſſe tabulæ. Tam emendatio iſta, quàm ratio vacua cerebri eſt. Tilia idem eſt, ac *φιλύρα*. Porro philura ſumitur à Plinio, pro longa lataque tunica, ſiue membrana. Nam ſcapus papyri acu diuidebatur bifariam. Vtraque pars conſecabatur in prætenues, ſed quamlatiſſimas philuras (ait libro XIII. C. XI.) Inde tilias, hoc eſt philuras ſimilitudine quadam Tertullianus nominat tabulas togæ, ſiue plicas, quæ in longum porrectæ ſimul, & latæ

ac ridicula. Vmbonem vis eſſe nodum quendam, & vmbilicum, qui in medio togæ tabulas omnes colligebat, & conſtringebat. Inde ſequitur tabulas per togam in longum porrectas in vmbilico coniungi. Verum tu poſtea extra vmbonis ambitum nullas fuiſſe tabulas dicis, & vmbonem vocas tabulatam congregationem. Tabulæ enim, inquis, in ſolo vmbone: qui & ideo tabulatum, & tabulata congregatio. Hæc non conſentiunt. Tabulæ, vt eſt dictum, in longum exporrectæ ſunt: Vmbilicus nodus eſt, & in orbem contractus. Falſum eſt igitur in vmbilico ſolo eſſe tabulas. alioqui tabulæ, tabulæ nō ſunt. In toga partes erant duæ, quas vmbo diuidebat; ſuperior tabulas, ſiue tilias, & plicas habuit; quæ in vmbone deficiebant. eas infra vmbonem ſinus excepit. Tabulatum itaque non eſt vmbo, ſed plicarum rugarumque contabulata ſtructura, tam antica, quàm poſtica corporis parte. Sed de Vmbone, ſinu, ac reliquo apparatu togæ, in quo mirè pueres, dicemus aliàs.

hæc Actorum verba, καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, Latinè redduntur: *Calcea te caligas tuas.* Quinetiam Geneſeos XIV. 23. vbi LXX, ſcripſerunt, ἕως σφυρωτῆρος ὑποδήματος, Latinus idem ex Hebræo; *vſque ad corrigiam caligæ.* Ita σανδάλιον, ὑπόδημα, caliga, promiſcuè ſumuntur. Hebræi magiſtri *ſandal* vſurpant pro calceo; vt obſeruatum Druſio L. II. Quæſ. Hebr. cap. LXXVI. Hîc tu de grammatico repente tractator Eccleſiaſticus, Matthæum cum Marco concilias. Verùm, ne ſutor. &c. Longè aliam huius concordiæ viam ineunt interpretes docti; quibus cautiuncula tua ludibrio eſt. Sed & à magiſtro tuo Beza doctior abire poteras. Tua igitur ἀχρηστομάθεια, de diſcrimine τοῦ ὑποδήματος & σανδαλίου, ἀκλεὴς ἄϊδηλος ὑπαὶ νεφέεσσι κεδάσθη. Nec tamen inficior apud nonnullos authores ita diſtingui. Verùm non aut erroris damnandi, qui aliter ſentiunt, aut perpetuam hanc differitatem, vt loqueris, fuiſſe putandum. Aut denique caliga cum ſolea confundenda, quod immane tuum eſt delirium, flagriſque piandum. Redeo ad cali-

gam tuam, quam cum ſandalio & P. 356. ſolea miſces imprudens. Ad hoc Caſſiani locum producis, qui caligas vocat τὰ σανδάλια, cui tu nimirum adſtipularis. Et idem tamen pag. 363. Romanum calceum fateris ad medium vſque crus pertinuiſſe; & hos calceos & caligas, & perones nuncupatos eſſe dicis. O ἀλογιστίαν, ô ſtuporem inauditum! Quæro ex te, recténe caligas eſſe ſandalia, vel ſoleas Caſſianus credidit? probas: & hoc ipſum quantæ ſit inſcitiæ; quantis ſibilis exagitandum, non vides. Soleaſne tu cum caligis? At hoc ſtatim euertis. Nam pag. illa 363. contrarium dicis. Sin eſt, vt Caſſianus errauerit; cur non erroris admones? Cur amplecteris, & in idem te cœnum induis? Doce caligam eſſe ſoleam. Si non potes; diſce hallucinatum eſſe Caſſianum; qui cùm in Actis σανδάλια Græcè legi, Latinè caligas videret; putauit iam tum Apoſtolorum temporibus, atque vſu ſcriptoris ſacri, diſcrimen illud ὑποδημάτων & σανδαλίων obtinuiſſe. Quod eſt recentius. Credo vbi tam turpiter impegiſſe te recognoue-

ris,triumphalis tibi Iouis vultum futurum.

Salmaſij ariolatio, impudentia.

Mulleos calceos Romanorum,& ante hos Albanorum, ac Tyrrhenorum vncinatos aſtruis,& à μύλλος deducis, quæ vox repandum ſonat. An ſatis eſt dixiſſe? ſi eſt, viciſti. Quem enim citas authorem? Ne doctiori quidem, quam tu es, iurato creduam, cùm aduerſus veteres ſentit: niſi idoneis teſtimoniis fidem exprimat. Vno verbo: nego tibi mulleos calceos Senatorum vncinatos fuiſſe. Nam à mulleis vncinati differunt ex Catonis verbis, quæ Scaliger recenſuit apud Feſtum. Pugna igitur authoritate deinceps, non tua, ſed vel mediocriter eruditi hominis. Quę frõs præterea, cùm *vincipedem* ἀνδαιςέτως in editione noua ſcribis? Scelus eſt: monui iam te ſæpius, abſtinere à cõtextu ariolationum tuarum libidinem. P. 360.

Salmaſij delirium, error, in Pallij duplicatione.

Notum illud Thucydideum, ἀμάθεια μὲν θράσος, &c. Nemo viuit hodie mortalium; in quem aptius congruat. Qua

confidentia doces, quæ non intelligis?
Duplicandi pallij negotium in eo cõ-
P. 566. ſiſtere cenſes ; quod exerto humero
dextro, laciniam Pallij in ſiniſtrum cõ-
iicerent Cynici. Sic enim læuus hume-
rus, ais, bis Pallio tegebatur. Placet, Sal-
maſi? ô læuæ mentis Criticum. Cum di-
midia pars corporis ſimplici pallio pro-
tegeretur, tamenne duplici panno ve-
latum totum dices hominem? Quippe
& nudus dexter humerus erat, & ſolus
ſiniſter duplicato illo panno munitus.
Apage in malum exitium diuinationes
tuas. Eiuſmodi ſunt, vt iis magis algêre
potuerint Cynici, quàm hibernis niui-
bus. Præter hæc: Vlláne Grammatica
ferat πτύξαι ἱμάτιον, de eo dici habitu, cum
pallii lacinia in humerum coniicitur?
Nã πτύξαι eſt *cõplicare*. Quod totũ cõpli-
catur, totũ διπλοῦται, non eius pars. Tale
fuit Cynicum τριβώνιον, quod expanſum
longius reliquis, duplicatum iuſta mẽ-
ſura conſtitit. Denique pallium du-
plex ea notione dici, quam fingis, pluſ-
quam ridiculum eſt. Diogenis deinde
locum, & τὸ ἁπλῶσαι quàm fœdè vexas.
Oedipũ neceſſe eſt, qui quid tibi velis
explicet.

Salmaſij

Salmaſij fanaticus error.
Barbaries.

Non patiar te in errore diutius eſſe. Imbibiſti Tertullianum de Cynico pallio nominatim verba facere. Ad eam mentem inuitum ac reluctantem trahis authorem. Falſus es. Vniuerſè de pallio ſermo eſt. Ideo diſiunctiuè loquitur; *humerum velans exponit, vel includit.* Corrigis tu; *vel exponit. Eſto.* ſed, *vel,* pro, *&,* poſitum perperam arbitraris. Non ita eſt. Duo, ac diuerſa ſunt. Scire velim, quæ tibi ratio perſuaſerit, de Cynico pallio præcisè Tertullianum agere. Nihil vanius, nihil minore cum iudicio tibi excidit. Legis poſtea, *quod Cratetis. Mora nuſquam veſtiendo cum ponitur.* Primum hæc coniectura eſt. Deinde quę eſt ita Latinitas; *ponere veſtem*, pro *induere*? Nam & θέσθαι ὅπλα apud Thucydidem, eſt deponere, καταστρατοπεδεύεσθαι. Scholiaſtes enim vertit ἀποθέσθαι lib. IV. At VIII Libro, etſi pro θέμενοι τὰ ὅπλα, reddiderit ὁπλισθέντες, melius eſt tamen, vt ſit ἀποθέμενοι; vt & ſubinde, ἔθεντο αὐτοῦ τὰ ὅπλα. Ideo rectè Scholion iſtud caſtigat Æmylius Portus. P. 371. & deinceps.

Salmaſij leuitas, & error. Quid ſit cippus.

Ei vero multum & otij, & patientiæ ſuperet neceſſe eſt, qui tuas omnes quisquilias euerrere ſtudeat. Non eum eſſe me gaudeam. Pauca quædam, & ſubita-
P.374. ria opera deſigno. Cippum in his Tertulliani verbis: *Nulli cippo in craſtinum demandatur*, putas annulum eſſe, in quem vmbo togæ ad ſtringendum inderetur. Hoc ſomnium in caput tuum refundo, & à Tertulliano longiùs arceo. Cippus hîc generaliter, ac tranſlatitiè id omne ſignificat, quo toga, cùm eſt expoſita, continetur, ſtringitur, & apprimitur: Cuiuſmodi pondera ſunt, & tormenta, quæ Seneca nominat libro de Tranquill. Tranſlatum à cuſtodiis, & vinctis, qui in cippis attinentur, & cruciantur. Sic quaſi dicat, in ergaſtulum, & βασανιστήριον non compinguntur. Hæc vera ſententia. Tu imaginoſus es. Quicquid primùm arripuiſti, adi dfingis & accommodas omnia: & quæ nuſquam ſunt, ea te videre credis. Nam de vmbone οὐδὲν ὑγιές.

Salmaſij ἐναντιολογία. *Hallucinatio. Audacia. Quid ſit promulſis.*

Adeo in ventilanda inſcitia tua delaſſatus ſum, vt iamdudum emergere ex iſta fæce cupiam. Itaque quod ſupereſt, nauteam celeritate vitabo, ſi potero. Audi igitur paucis inſignem tuam oſcitantiā, & ſi frontem habes, erubeſce. Scribis P. 405.
Aſinij menſam citream emptam eſſe centum millibus nummûm; quæ ſunt mille ſeſtertia. *Quæ ſumma*, inquis, *bis mille & quingentos aureos noſtros efficit.* Atqui tuo te pugione miserè conficis. Etenim fac P. 429.
centum millia nummûm valere bis mille quingētos aureos noſtros: quingena millia quot valebūt? Opinor duodecim millia, & quingentos. Quare Aſinij menſa, cuius dupla fuit æſtimatio, viginti quinque millibus aureorum taxabitur. Vide quàm ineptus ſis calculator. Et audes rem nummariam attingere, qui necdum digitis tuis computare didiciſti. In pro- P. 407.
mulſide quis ferat ſupercilium tuum? Errant, inquis, omnes, qui promulſidem putant eſſe antecœnam, aut guſtationem. Putes loqui Palæmonem, aut Ariſtar-

chum. Quid tam arrogans & ineptum ab illo Magiſtro, & Profeſſore Pariſienſi profectum eſt, quem tu indignis modis exagitas, & cymbalum iuuentutis nominas? Si ipſa ſuperbia ſcriberet, non aliter ſtilo vteretur, ac tu facis. Vaniſſime Grammaticulorum: erras tutemet. Promulſis propriè, ac per ſeſe guſtationem, & antecœnam ſignificat. Non aliter eam vocem accepit Cicero Epiſtola ad Papyrium Pætum, quæ eſt CLXVII. *Neque eſt, quod in promulſide ſpei ponas aliquid: quam totam ſuſtuli:* Mox quid ſit promulſis declarat: *Solebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis.* Tranſlatum inde eſt ad vaſa ipſa nomen. vnde promulſis tam vas eſt, quàm quod vaſe continetur. Ita cœnatio pro cœnaculo: geſtatio pro porticu, in qua geſtantur: piſces, pro foro piſcario; & contenta denique res pro continente. At promulſidarium nihil vetat repoſitorium eſſe promulſidum, quatenus vaſa ſunt. Minimus ecce motus giganteum illud epiſcynium diſperſit.

Salmaſij leuitas. Furtum. χαχοήθεια.

Adigo cauterem ambitioni, leuitatique tuæ, non infrequentius, quàm ſtupori, & inſcitiæ. Vtroque te inſignitum, ac velut Thraciis notis compunctum reddam in hoc capite. Exormiſton inter piſces regium genus celebrat Caſſiodorus vari. l. XII. Ep. XIV. Tu pro iure magiſterij Grammatici αὐθεντικῶς edicis nominatiuum eſſe ἡ ἐξορμιστών: & in eo virum magnum erraſſe, qui putat eſſe τὸ ἐξόρμιστον. Quæſo te, Salmaſi! quis te docuit legi apud Caſſiodorum exormiſton in fœminino genere? Nempè, inquies, L. XII. Epiſtola ad Canonicarium Venetiarum, ſcriptum eſt, *exormiſton Sicula.* Non id in vulgatis Caſſiodori libris tu legiſti: ſed à Scaligero didiciſti l. I. Auſon. lect. cap. XXVI. qui corruptum locum ita feliciter reſtituit. Scriptum erat hactenus: *à Rheno veniat ancorago exormis tonſicula.* Emendauit ille, *exormiſton Sicula.* Cum hac vna caſtigatione, tuæ ſi omnes obſeruationes, ac Grammaticæ næniæ conferantur, ſtipulæ ſunt ad aurum. At tu quidem non

hæc Actorum verba, καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, Latinè redduntur: *Calcea te caligas tuas.* Quinetiam Geneſeos XIV. 23. vbi LXX, ſcripſerunt, ἕως σφυρωτῆρος ὑποδήματος, Latinus idem ex Hebræo; *vſque ad corrigiam caligæ.* Ita σανδάλιον, ὑπόδημα, caliga, promiſcuè ſumuntur. Hebræi magiſtri *ſandal* vſurpant pro calceo; vt obſeruatum Druſio L. II. Quæſ. Hebr. cap. LXXVI. Hîc tu de grammatico repente tractator Eccleſiaſticus, Matthæum cum Marco concilias. Verùm, ne ſutor. &c. Longè aliam huius concordiæ viam ineunt interpretes docti; quibus cautiuncula tua ludibrio eſt. Sed & à magiſtro tuo Beza doctior abire poteras. Tua igitur ἀχρηστομάθεια, de diſcrimine τοῦ ὑποδήματος & σανδαλίου, ἀκλεὴς ἄϊδηλος ὑπαὶ νεφέεσσι κεδάσθη. Nec tamen inficior apud nonnullos authores ita diſtingui. Verùm non aut erroris damnandi, qui aliter ſentiunt, aut perpetuam hanc differitatem, vt loqueris, fuiſſe putandum. Aut denique caliga cum ſolea confundenda, quod immane tuum eſt delirium, flagriſque piandum. Redeo ad cali-

ris,triumphalis tibi Iouis vultum futurum.

Salmaſÿ ariolatio, impudentia.

Mulleos calceos Romanorum,& ante hos Albanorum, ac Tyrrhenorum vncinatos aſtruis,& à μύλλος deducis, quæ vox repandum ſonat. An ſatis eſt dixiſſe? ſi eſt, viciſti. Quem enim citas authorem? Ne doctiori quidem, quam tu es, iurato crediam, cùm aduerſus veteres ſentit: niſi idoneis teſtimoniis fidem exprimat. Vno verbo: nego tibi mulleos calceos Senatorum vncinatos fuiſſe. Nam à mulleis vncinati differunt ex Catonis verbis, quæ Scaliger recenſuit apud Feſtum. Pugna igitur authoritate deinceps, non tua, ſed vel mediocriter eruditi hominis. Quę frõs præterea, cùm *vincipedem* αὐθαιρέτως in editione noua ſcribis? Scelus eſt: monui iam te ſæpius, abſtinere à cõtextu ariolationum tuarum libidinem. P.360.

Salmaſÿ delirium, error, in Pallij duplicatione.

Notum illud Thucydideum, ἀμάθεια μὲν θρασος, &c. Nemo viuit hodie mortalium; in quem aptius congruat. Qua

confidentia doces, quæ non intelligis? P. 566. Duplicandi pallij negotium in eo cõſiſtere cenſes; quod exerto humero dextro, laciniam Pallij in ſiniſtrum cõiicerent Cynici. Sic enim læuus humerus, ais, bis Pallio tegebatur. Placet, Salmaſi? ô læuæ mentis Criticum. Cum dimidia pars corporis ſimplici pallio protegeretur, tamenne duplici panno velatum totum dices hominem? Quippe & nudus dexter humerus erat, & ſolus ſiniſter duplicato illo panno munitus. Apage in malum exitium diuinationes tuas. Eiuſmodi ſunt, vt iis magis algêre potuerint Cynici, quàm hibernis niuibus. Præter hæc: Vlláne Grammatica ferat πτύξαι ἱμάτιον, de eo dici habitu, cum pallii lacinia in humerum coniicitur? Nã πτύξαι eſt *cõplicare*. Quod totũ cõplicatur, totũ διπλοῦται, non eius pars. Tale fuit Cynicum τριβώνιον, quod expanſum longius reliquis, duplicatum iuſta mẽſura conſtitit. Denique pallium duplex ea notione dici, quam fingis, pluſquam ridiculum eſt. Diogenis deinde locum, & τὸ ἀπλῶσαι quàm fœdè vexas. Oedipũ neceſſe eſt, qui quid tibi velis explicet.

Salmaſij fanaticus error. Barbaries.

Non patiar te in errore diutius eſſe. Imbibiſti Tertullianum de Cynico pallio nominatim verba facere. Ad eam mentem inuitum ac reluctantem trahis authorem. Falſus es. Vniuerſè de pallio ſermo eſt. Ideo diſiunctiuè loquitur; *humerum velans exponit, vel includit*. Corrigis tu; *vel exponit. Eſto.* ſed, *vel*, pro, *&*, poſitum perperam arbitraris. Non ita eſt. Duo, ac diuerſa ſunt. Scire velim, quæ tibi ratio perſuaſerit, de Cynico pallio præcisè Tertullianum agere. Nihil vanius, nihil minore cum iudicio tibi excidit. Legis poſtea, *quod Cratetis. Mora nuſquam veſtiendo cum ponitur*. Primum hæc coniectura eſt. Deinde quę eſt ita Latinitas; *ponere veſtem*, pro *induere*? Nam & θέσθαι ὅπλα apud Thucydidem, eſt deponere, κατασρατοπεδεύεσθαι. Scholiaſtes enim vertit ἀποθέσθαι lib. IV. At VIII Libro, etſi pro θέμενοι τὰ ὅπλα, reddiderit ὁπλισθέντες, melius eſt tamen, vt ſit ἀποθέμενοι; vt & ſubinde, ἔθεντο αὐτοῦ τὰ ὅπλα. Ideo rectè Scholion iſtud caſtigat Æmylius Portus.

p. 371. & deinceps.

Salmaſij leuitas, & error. Quid ſit cippus.

Ei vero multum & otij, & patientiæ ſuperet neceſſe eſt, qui tuas omnes quiſquilias euerrere ſtudeat. Non eum eſſe me gaudeam. Pauca quædam, & ſubita-
P.374, ria opera deſigno. Cippum in his Tertulliani verbis: *Nulli cippo in craſtinum demandatur*, putas annulum eſſe, in quem vmbo togæ ad ſtringendum inderetur. Hoc ſomnium in caput tuum refundo, & à Tertulliano longiùs arceo. Cippus hîc generaliter, ac tranſlatitiè id omne ſignificat, quo toga, cùm eſt expoſita, continetur, ſtringitur, & apprimitur: Cuiuſmodi pondera ſunt, & tormenta, quæ Seneca nominat libro de Tranquill. Tranſlatum à cuſtodiis, & vinctis, qui in cippis attinentur, & cruciantur. Sic quaſi dicat, in ergaſtulum, & βασανιστήριον non compinguntur. Hæc vera ſententia. Tu imaginoſus es. Quicquid primùm arripuiſti, adi dfingis & accommodas omnia: & quæ nuſquam ſunt, ea te videre credis. Nam de vmbone οὐδὲν ὑγιές.

Salmaſij ἐναντιολογία. Hallucinatio. Audacia. Quid ſit promulſis.

Adeo in ventilanda inſcitia tua delaſſatus ſum, vt iamdudum emergere ex iſta fæce cupiam. Itaque quod ſupereſt, nauteam celeritate vitabo, ſi potero. Audi igitur paucis inſignem tuam oſcitantiã, & ſi frontem habes, erubeſce. Scribis P. 405. Aſinij menſam citream emptam eſſe centum millibus nummûm; quæ ſunt mille ſeſtertia. *Quæ ſumma*, inquis, *bis mille & quingentos aureos noſtros efficit.* Atqui tuo te pugione miſerè conficis. Etenim fac P. 429. centum millia nummûm valere bis mille quingẽtos aureos noſtros: quingena millia quot valebũt? Opinor duodecim millia, & quingentos. Quare Aſinij menſa, cuius dupla fuit æſtimatio, viginti quinque millibus aureorum taxabitur. Vide quàm ineptus ſis calculator. Et audes rem nummariam attingere, qui necdum digitis tuis computare didiciſti. In pro- P. 407. mulſide quis ferat ſupercilium tuum? Errant, inquis, omnes, qui promulſidem putant eſſe antecœnam, aut guſtationem. Putes loqui Palæmonem, aut Ariſtar-

chum. Quid tam arrogans & ineptum ab illo Magiſtro, & Profeſſore Pariſienſi profectum eſt, quem tu indignis modis exagitas, & cymbalum iuuentutis nominas? Si ipſa ſuperbia ſcriberet, non aliter ſtilo vteretur, ac tu facis. Vaniſſime Grammaticulorum: erras tutemet. Promulſis propriè, ac per ſeſe guſtationem, & antecœnam ſignificat. Non aliter eam vocem accepit Cicero Epiſtola ad Papyrium Pætum, quæ eſt CLXVII. *Neque eſt, quod in promulſide ſpei ponas aliquid: quam totam ſuſtuli:* Mox quid ſit promulſis declarat: *Solebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis.* Tranſlatum inde eſt ad vaſa ipſa nomen. vnde promulſis tam vas eſt, quàm quod vaſe continetur. Ita cœnatio pro cœnaculo: geſtatio pro porticu, in qua geſtantur: piſces, pro foro piſcario; & contenta denique res pro continente. At promulſidarium nihil vetat repoſitorium eſſe promulſidum, quatenus vaſa ſunt. Minimus ecce motus giganteum illud epiſcynium diſperſit.

Salmaſij leuitas. Furtum. κακοήθεια.

Adigo cauterem ambitioni, leuitatique tuæ, non infrequentius, quàm ſtupori, & inſcitiæ. Vtroque te inſignitum, ac velut Thraciis notis compunctum reddam in hoc capite. Exormiſton inter piſces regium genus celebrat Caſſiodorus vari. l. XII. Ep. XIV. Tu pro iure magiſterij Grammatici αὐθεντικῶς edicis nominatiuum eſſe ἡ ἐξορμιστών: & in eo virum magnum erraſſe, qui putat eſſe τὸ ἐξόρμιστον. Quæſo te, Salmaſi! quis te docuit legi apud Caſſiodorum exormiſton in fœminino genere? Nempè, inquies, L. XII. Epiſtola ad Canonicarium Venetiarum, ſcriptum eſt, *exormiſton Sicula.* Non id in vulgatis Caſſiodori libris tu legiſti: ſed à Scaligero didiciſti l. I. Auſon. lect. cap. XXVI. qui corruptum locum ita feliciter reſtituit. Scriptum erat hactenus: *à Rheno veniat ancorago exormis tonſicula.* Emendauit ille, *exormiſton Sicula.* Cum hac vna caſtigatione, tuæ ſi omnes obſeruationes, ac Grammaticæ nænię conferantur, ſtipulæ ſunt ad aurum. At tu quidem non

tam verſutè, quàm ſtolidè, diſſimulato illius nomine, velut tritam & vulgarem lectionem vſurpas: &, quod ridiculum, ac malitioſum eſt, magnum tu illum virum nominas, vbi reprehendere vis; vbi laudem meritus eſt, ne litera quidem appellas. Hic morum tuorum candor; hæc vrbanitas. Vt ex magni viri ſuggillatione maior habearis, magnum virum Scaligerum vocitas. At qua tandem ille re lapſus eſt? Quia exormiſton non animaduertit eſſe nominatiuum, ἡ ἐξορμιστῶν. Tuum hoc figmentum eſt. Poſſum flectere ἡ ἐξορμιστὸς: & in illo Caſſiodori loco legere, *exormiſtos ſicula*. In altero verò, Exormiſton regium genus, genitiuum pluralem facere. Ne id faciam; nulla me tua grammatica prohibebit.

Salmaſij ineptiæ. Stupidiſsimus error de Lampetra.

In Lampetra piſce, & eius appellatione aduocas omnes tuas ineptias. Lampetram vulgò à lambendis petris deriuant.
p. 421. Tu id improbas: & à colore dictam aſſeris Salmaſiana fide. A nomine, inquis, λαμπυρὶς λαμπυρίδος, quæ colorem ha-

bet λαμπυρὸν. Ideo *lampredam*, non *lampetram* vocari pertendis. Iuuat interdum deridiculis iſtis aſperſos eſſe commentarios tuos. Scribis enim moroſè, ac λυχανθρώπως. Quòd niſi ridendi ſubinde materiã dares, quẽ tu hominẽ reperires, qui gratis iſta legeret, ne dum vt, quod inſtitui, in gerras iſtas inquirere? Sed nõnullum in plumbeo ſtupore tuo ridendo pretium eſt operæ. Lampetram tu λαμπυρίδα facias? Piſcis iſte, qui ab Italis *Lampreda*; ab Germanis *Lampryd*, ab Hiſpanis *Lamprea*, à Gallis *Lamproye* dicitur, Ariſtoteli, ac pleriſque veterum ignotus eſt. Ideo nullum ei Græcum nomen inditum: ſed nec in Latini cuiuſquam certã adhuc pꝯſſeſſionẽ venit. Quæ te ergo malùm, intemperiæ tenent, vt Italicam, aut Germanicam vocem inter Græcos potius, quã Latinos requiras? Volo mihi reſpondeas, quis ex omni antiquitatis memoria Græcus author λαμπυρίδα piſcem eſſe dixit? Plinius l. XI. cap. XVIII. de inſectorum, & ſcarabæorum generibus: *Lucent*, inquit, *ignium modo noctu laterum & clunium colore Lampyrides*: & libro XIX. cap. XXVI. *lucentes veſpere per arua cicindelas*, ait eſſe Lampyridas.

De iis agit Ariſtot. l. v. Hiſt. cap. xix. Dic te rogo Salmaſi! qua authoritate? qua confidentia Lampetram ais eſſe χαμπυείδα? Num tu in Hiddelbergenſi tuo ſeceſſu reconditum aliquem in Palatina Bibliotheca librum nactus es, Lexicon aliquod Germanicum vetus, vbi legeris Germanos piſcis iſtius nomen trãs mare petiiſſe? At ego tantum te artificem non noueram, vt ex ſcarabæo murænam faceres. Atque vt de piſce ipſo paululum tecum congrediar; cur tu magnum virum erraſſe vis, qui muſtellam Auſonij lampetram eſſe noſtram docuerit, & exormiſton Caſſiodori? Hippolytus Saluianus Murænam fluuiatilem eſſe Lampetram ex Dorione cenſet. Sipontinus Muſtellam Latinorum. Conueniunt notæ, ac proprietates; quarum apud antiquos mentio eſt. Tu vnus poſt homines natos inuentus es, qui ex Grammaticorum ſcriniis nouum illud expromeres; ſcarabæum eſſe lampetram.

Salmaſij ſtupor, & pueriliis ineptia, qui protrita pro reconditis habet.

Quantum de re tua nummaria ſperan-

dum ſit, ex eo coniicimus, quod vulgaria & protrita quæque in arcanis ac reconditis numeras. Verba tua ſunt. *Sciunt rei numariæ veteris periti ſingula ſeſtertia mille ſeſtertios nummos æquare. Sed vel duo, vel nemo illud ſcit, cùm ſeſtertij dicuntur, ſubintelligi nummos, cùm ſeſtertia, ſubaudiri pondo. Sic vnum ſeſtertium pondo duas argēti libras cum ſemiſſe valebat.* Apparet te, iam tum iſta notaſſe, cùm puer eſſes. Valde enim puerilia ſunt. Neque, vt pueri captus eſt, valde reprehendenda. Illud ſanè mirum eſt, te id ætatis non plus, quàm cùm eſſes puer, habere modò iudicij. Hęccine exquiſita tibi videntur, & ignota vulgò; ſeſtertia ſingula duas eſſe libras argenti cum ſelibra? Tyronem eſſe nullum arbitror, qui Budæi librum aperuerit, cui ſtatim hoc non occurrerit. Ita enim lib. 1. de Aſſe: *Nunc igitur cauſſam tenemus cur ſeſtertia ſingula mille nummos ſeſtertios ſignificent. Nam duæ libræ & ſelibra; ſeu, quod idem eſt, mnæ duæ & hemimnæon ducentas & quinquaginta drachmas valent: quæ ſi quaternario multiplicentur mille nummos efficiunt. Quomodo igitur ſeſtertij dicti ſunt nummi, quòd duos aſſes & ſemiſſem ſinguli valerent; id eſt dupondium* P. 423.

& ſemiſſem æris: ita ſeſtertia ex eo dicta ſunt, quod duas libras ſingula & ſelibram argenti valerent. Hæc ſunt quæ vni tantùm vel duobus dicis eſſe cognita; quæ nemo eſt hodie qui neſciat. Miror te amicos habere nullos, quibus ſcripta tua communices, priuſquam in lucem exeant: vel ſi quos habes, adeo officioſos eſſe; vt te vera monendo nimis offendere metuant.

Salmaſij faſtus & temeritas.

P.434. Thraſonica vero eſt hæc inſolẽtia tua, & palliato ſermone caſtiganda. *Æternũ*, inquis, *credo hic locus in vitio mendoſæ interpunctionis, quo hactenus laborauit, iacuiſſet, niſi ego eam emendaſſem. Sic igitur diſtinguendum iudicaui.* Hoc illud eſt: Eruditi homines, ac ſolidè docti iidem in pronuntiãdo minimè leues, & calidi, ſed cunctabundi ferè, ac timidi: ſemidoctis & ſciolis

Nil extra eſt oleam, nihil intra eſt in nuce duri.

Coniectura tua, & interpũctio vitium, quod non erat, in Tertull. induxit. Rectè enim vetus editio. *Quales apud palliũ haud facilè.* Non facilè, inquit, palliati repe-

riantur, quales togati fuere.

Ita ſequenti pagina, cùm vulgata le- P. 435.
ctio; & omnium editionum conſenſu firmata ſit; *Haud facilè has purulentias ciuitatis quis eliciet, & exuaporabit*: peſſimè & audaciſſimè corrigis exſuppurabit; ex coniectatione mera: quæ quàm te ſæpè fefellerit, hactenus liquet. Sed nec illa capis: *Et memento iſtos interim ex multis togatos fuiſſe*; quorum ſententiam deprauas. Non enim hæc dixit, quod togati non omnes eſſent, quos nominauerat; nimirum Æſopi ambo. Nihil hac interpretatione ſtolidius. Verùm paucos è multis commemorauerat. Ideo ſcribit: Iſtos ſe interim ex multis enumeraſſe.

Salmaſij κόρυζα.

Plena eſt κορύζης obſeruatiuncula iſta: P. 437.
Pueros ſeptennes olim ad ruditatem deponendam γραμματιστῇ datos: cùm vero duodecimum attigerant, ad Grammaticos eſſe miſſos, vſque ad decimũquartum. Quaſi hæc perpetua lex, & communi uſu recepta ſit. Non vides aliud eſſe vulgi conſuetudinem; aliud præſcripta medicorum. Hac ratione probaueris;

neminem olim in Græcia mortalium Athleticam feciſſe, quod medici, imprimiſque Galenus, genus hoc exercitationis repudient. Quid frigidius ac ſtupidius?

Salmaſij omnium ſtolidiſſimæ coniectura, de accendonibus, & laniſtis.

Pudet me iamdudum tui, pigetque laboris huius. Tam frequentia me frigora illa tua percutiunt; vt propemodum enecent. Reuocabo me igitur iſtinc, ac vale tibi dicam, ſi prius te tui ſtuporis admonuero. Cœpiſti cerdonibus eſſe timendus, quos ab vſu togæ ſummoues.
P.446. Cùm enim vulgò ſcriptum ſit. *Verùm & cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur*, retrahis fugitiuam veteremque lectionem; *accendones* pro *cerdones*. Nec tam iſtud inſequor, quàm argumentationem & interpretationem tuam. Vtraque cerdonis ingenio digna. *Cur enim cerdones*, ais, *potius quàm alij ſellularij quilibet opifices? An non ij etiam de infima plebe, & tunicati?* Si vlla vis eſt in hoc argumento, eodem concluſeris; neque veſpillones, neque lenones fuiſſe togatos;

de quibus tamen dixit, vt agnoſcis ipſemet, cap. IV. *Veſpillo, leno, laniſta, tecum veſtiuntur.* An enim veſpillones, & lenones erant maiorum gẽtium Senatores, aut Equites, vt tunicati non eſſent? Par eſt ſtupiditas rationis alterius, quam affers, quod in illo capitis quarti loco, in quo viles perſonas enumerabat, quæ togam vſurpabant, cerdones inter eas non nominarit. Atqui neque gladiatores illîc nominauit; quos hîc tamen togatos facit. Cur non igitur hîc etiam cerdonum, vti & gladiatorum, fiet mentio? Neſcis cerdonum nomen ſynecdochicôs pro vilibus opificiis vſurpari. Præterea fœdiſsimè tibi contradicis ipſe. Scribis hac ipſa pagina 446, Cerdones ideo togatos dici non debuiſſe, quoniam non minus erant de plebe infima, quàm alij quilibet ſellularii opifices, qui nec pallia nec togas gerebant: Hinc tunicatus popellus Horatio, & tunicata plebs alteri; quod tunicas ſine togis haberet indutas. Agnoſcis, opinor, verba tua. At vero pag. 23. doces nigras pænulas amictui Romanam plebem habuiſſe: Hinc pullata turba & pullati circuli. Vide ergo quàm acutè colligas; propterea cerdones togam non

habuiſſe, quia tunicata plebs erat; hoc eſt nullum ſupra tunicam amiculum habebat. Nam ſi & pænulam, vt ais, aliquãdo veſtiit, cur non & togam? ſi nullum omnino fuit amiculum, vt tunicata dici poſſet; ergo neque pænula. Vtrinque conſtringeris, & cæcitatis, ac vecordiæ teneris. Sed accendones ſupra omnem fidem ineptè, ac ſtupidè laniſtas autumas, quòd gladiatores accendant. Quicquid authoritatum congeris, metaphoricum hoc vocabulum ad animum referunt. Hac autem ratione ſpectatores ipſi magis accendones dici debeant. Nulla vnquam grammatica faciet, vt accendere gladiatorem ſit inſtruere ac dictata ſuggerere.

Claudet hanc caſtigationem Arcadica & ſtramentitia laniſtæ vocis originatio. Laniſta inquis, quaſi χλανιστὴς. Nam χλανίζειν inter cætera eſt, erudire. Vix contineo me. Sed quid maius imprecer tibi, quàm vt ea mente perpetuò ſis in his literis; tam inepta, tam fatua μικρολογίᾳ, ψευδολογίᾳ, μωρολογίᾳ; Adeò brutus, & bardus es, vt hoc tibi exciderit, χλανίζειν eſſe idem atque erudire. Quò authore tam infame propudium in Grammaticam

intruſiſti? Hæc quidem fatuitas, non verbis, ſed verberibus coërcenda. Laniſtæ non aliunde dicti, quàm quod laniandis præſunt gladiatoribus, ait Ælius Donatus. Ita lanij qui laniunt pecora. Nunquã me fallet, quod dixi: tam ineptã eſſe coniecturam tuam, vt eius merito, quandiu viues, ad ludibrium & infamiam denotandus ſis à grammaticis. Hîc valere te iubebo, &, ſi potes, ſaniori eſſe mente ac iudicio: ſi non potes, obmuteſcere.

Verùm priuſquam diſcedis, donabo te apologo lepidiſsimo, qui mihi ſubitò excidit. Hoc tibi exodium conuenit.

AD CLAVDIVM SALMASIVM.

Herum & clitellas aſinus elapſus fuga
Pellem leonis forte abiectam repperit.
Quam cùm induiſſet; ſpecie mentitus ferum,
Se pro leone gerere, terrere obuios,
Solus potiri campo: donec perfugam
Aſellum dominus quærens; vt vidit procul,
Primo leonem credens occurſu horruit.
Atque is, pauentem quò proturbaret magis,
Rugitum ſimulans, rudere de more incipit.
Sic intempeſtæ proditus vocis ſono
Herum in ſe vertit: à quo per ludibrium

Traductus, & leonem crebris fuſtibus
Dedoctus pellem poſuit, ádque aſinum rediit.
Hoc illi dictum eſt; cuius eſt inſcitia,
Et inficetus plumbei ingenij ſtupor
Animi inſolentis non minor ſuperbia.
Nam dum ille ſeſe nobili larua tegens,
Cati, eruditi falsò perſonam gerit,
Cunctos laceſſens, vexans, morſu vellicans;
Arcadicâ tandem voce, ſcriptiſque agnitus;
Riſum coronæ de ſe vernili dedit.

FINIS.